AUTHOR: RUBEL, CARL

TITLE: DE FONTIBUS QUATUOR ....

PLACE: BONNAE

DATE: 1872

Master Negative #

92-80601-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rübel, Carl, 1848-
De fontibvs qvatvor priorvm Historiae Avgvstae scriptorvm pars prior; dissertatio historica qvam scripsit... Carolvs Rübel... Bonnae, formis Caroli Georgi, 1872.
64 p. 22 cm.

Thesis, Bonn, 1872.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/20/92 INITIALS B.G.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: Rübel, Carl

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

______ Page(s) missing/not available:

______ Volumes(s) missing/not available:

______ Illegible and/or damaged page(s): 65-66

______ Page(s) or volumes(s) misnumbered:

______ Bound out of sequence:

______ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: Best copy available

______ Other:

BEST COPY AVAILABLE

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

FONTIBVS QVATVOR PRIORVM
HISTORIAE AVGVSTAE SCRIPTORVM

PARS PRIOR.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM SCRIPSIT
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XX. MENSIS IANVARII A. MDCCCLXXII
HORA XII

PVBLICE DEFENDET
CAROLVS RÜBEL
RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
ADOLPHVS KÖCHER DR. PHIL.
HANS DELBRÜCK STVD. HIST.
IOHANNES FROITZHEIM STVD. HIST.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI
MDCCCLXXII.

EDVARDO FALTINO

AMICISSIMO

S.

De fontibus scriptorum historiae Augustae inde a Hadriani usque ad Heliogabali vitam quaestio mihi instituenda est. Quos ante me in quaestionem vocaverunt Dirksen [1]), Krause [2]), Müller [3]). Quorum unum quidem, Krause, iam omittere possumus, qui nihil fere attulit nisi nomina auctorum, quos scriptores historiae Augustae citant. Alter, Dirksen optime quidem de ratione disseruit, qua singulae vitae compositae sint, neque tamen diiudicavit, quid cuique fonti tribuendum sit. Müller, qui nuper de hac re disseruit, scriptores in vitis priorum imperatorum describendis solum fere Marium Maximum secutos esse, demonstrasse sibi visus est. Cuius sententiam cum probare non possim, demonstrare conabor, scriptores maximam quidem partem Marium Maximum excerpsisse, sed in vitis quas scripserunt aliis quoque ex auctoribus quaedam inseruisse.

Sed antequam ad hanc quaestionem aggrediar, de ratione qua scriptores isti auctores suos excerpserint et epitomaverint disseram comparatis Capitolino et Herodiano, qui solus adhuc exstat iis ex auctoribus, quibus scriptores historiae

---

1) Die scriptores historiae Augustae. Andeutungen zur Texteskritik und Auslegung derselben von H. E. Dirksen. Leipzig 1842.

2) Programm des fürstlich hedwigschen Gymnasiums zu Neustettin 1857. A. Krause: de fontibus et auctoritate scriptorum historiae Augustae.

3) apud Büdinger: Untersuchungen zur Kaisergeschichte. tom. III, p. 17—202. Joh. Jac. Müller: Der Geschichtsschreiber L. Marius Maximus.

Augustae usi sunt. Octavum Herodiani librum excerpsit Capitolinus in vita Maximinorum c. 21—24[1]). Quam si cum Herodiano comparamus facile cognoscere possumus, quem in modum Capitolinus historiam scripserit, 1) Herodiani enim narratio adeo in breve contrahitur, ut singulis locis vix dici possit, quid Herodianus narraverit (cf. 24, 1—3 et Her. VIII. 6). Nihilo secius verba ipsa Herodiani latine vertere Capitolinus studet. 2) Ter Herodiani narrationi Capitolinus sua ex mente quaedam addidit, 22, 6 quidem »quantum a teli iactu satis tutus esse posset,« mihi transpositum esse videtur ex Her. VIII 4, 6 *μείναντες δὲ ἔξω τοξεύματος*, sed Herodiano non debentur 23, 6 »eorumque capita praefixa contis Aquiliensibus demonstrarunt« quod Capitolinus addidit quia ei verisimillimum esse videretur, milites Aquilienses statim de Maximinorum morte certiores fecisse. Item addidit Capitolinus in Balbini odium 24, 7 »et homo timidior natura et qui cum Maximini nomen audiret, etiam tremeret,« et 22, 7 »qui spurcissimus[2]) erat.« 3) Capitolinus igitur cum Herodiani narrationi quaedam adderet, reliqua haudquaquam accurate narravit, nam aut linguae Graecae nimis expers fuit, aut Herodianum summa cum negligentia legit, cum Herodiani VIII 5, 9 *τάς τε εἰκόνας ἐκ τῶν σημείων κατασπῶσι* verteret (23, 7) »in oppido igitur vicino statim Maximini statuae atque imagines depositae sunt« et Her. VIII 7, 7 *τὸ μὲν ἄλλο στρατιωτικὸν ἀπέπεμψεν ἐς τὰ ἔθνη καὶ τὰ οἰκεῖα στρατόπεδα, αὐτὸς δέ ἐπανῆλθεν ἐς τὴν Ῥώμην. ἐπανῆλθον δὲ καὶ οἱ ἀπὸ Γερμανίας ἐληλυθότες σύμμαχοι κτἑ* (24, 6) »quare statim dimissis Germanorum auxiliis.« 4) Capitolinus, ut se doctum atque literatum praebeat citat 21, 5 »plerique sane dicunt,« ut multos libros legisse videatur;

1) adhibeo editionem, quam instituit Hermannus Peter. Lipsiae 1865. 2 vol.

2) sic optime Oberdick pro speciosissimus erat ex 28, 4. Zeitschrift für österreichische Gymnasien. 1865. p. 737—745.

sed 21, 5 ex solo Herodiano fluxit. Ut iam hic eiusmodi exempla afferam, est vit Gord. c. 16, 1 »fertur« = Herod. VII 9, 7. vit Gord. 10, 6 »haec fabella fertur« = Her. VII 6, 5 vit Gord. 9, 2 »alii dicunt" = Her. (de quo loco infra disseram) vit Max. 33, 2 »et multi alii Graeci« = Her.[1])

Eundem in modum c. 10—12 e septimo Herodiani libro compilata sunt. Sed Capitolinus hic Herodiani narrationi ex memoria addit 11, 3, 9 »quem Maximus privatum iam dimiserat« itemque Osrhoeno isti, quem Herodianus Quartinum nominat nomen Tito dat, quod apud alium quendam auctorem legerat. At reliqua cap. 11 et 12 ne omnia quidem ex Herodiano fluxerunt sed bis alio ex auctore quaedam inseruntur et eodem quidem ex auctore 11, 9—12, 12, 1[2]) et 12, 5—12, 9. Quem auctorem Iunium Aelium Cordum esse Capitolinus prodit 12, 7. Cum de Cordo infra mihi disserendum sit, hoc iam loco adnoto eum inepte res gestas exaggerasse atque in maius extulisse cum scriberet: »per triginta vel quadraginta milia — vicos incendit« et infra »per quadraginta vel quinquaquinta milia Germanorum vicos incendimus.« Nec mirari debemus Capitolinum in Herodiani epitomen alio ex auctore de eadem re narrationem inseruisse. Hoc enim modo omnes vitas Capitolinus compilavit ut unum potissimum auctorem sequeretur, attamen in narrationem aliis ex fontibus excerpta insereret. Cuius rei testimonia sunt cap. 8—10. Quibus in capitibus Capitolinus unum potissimum auctorem sequitur, sed ex Herodiano singula indit 8, 9: »simul et verebatur, ne propter humilitatem generis barbarici a nobilitate contemneretur« = Her. VII 1, 2 *δεδιὼς μή τι τῇ συγκλήτῳ καὶ τοῖς ὑπηκόοις κτἑ.*[3]) Alterum exemplum inve-

1) quod exemplum recte attulit Dändliker apud Büdingerum l. l. III, p. 262.

2) Cum 12, 1 non ex Herodiano fluxerit non tam probandum quod Peter ex Herodiano VII 2, 5 coniecit pro »amnes« »a campis« et retinendum quod Eyssenhardt voluit »omnes«.

3) Quod praeterea Brocks affert (de quatuor prioribus historiae

nitur c. 12—13, ubi Capitolinus Aelium Cordum sequitur, sed ex Herodiano VII 2, 8 inserit 12 §. 10 »iussit praeterea etc.« Haec alio ex auctore inserta esse cognosci posset, etiamsi Herodianus adhuc non exstaret ex praeterea. Hoc enim verbo Capitolinum significare se iam alium auctorem sequi atque antea recte monuit Brocks p. 65 attulitque vit Max. 6, 8. Addenda sunt vit. Gord. 16, 2. Cum 16, 1 ex Herodiano sit sumptum 16, 2 alio ex fonte additur: »fuit praeterea ingens etc.« Eundem in modum Capitolinum quoque verbo »sane« usum esse demonstrat Brocks (p. 65) cf. vit Max. 21, 5 Max. et Balb. 11, 4 vit Max. 33, 2. „Sane quod etc.« [1]). Nec non verbum »denique« sic adhibet Capitolinus ut verbo »denique« se ad alium transire auctorem prodat. cf. vit Max. et Balb. 12, 4, ubi ab Herodiano ad Cordum transit, ibid. 12, 9.

Eadem ratio atque cap. 21 – 24 intercedit in vita Max. c. 14—15, 6 inter Capitolinum et Herodianum VII 4. Herodiani narratio in brevius contrahitur atque male vertitur. cf. c. 15, 3—5, »quae auditae sunt ab omnibus ... paucae civitates fidem servaverunt.« et Her. VII 7, 6 *οἱ πλεῖστοι προσήκαντο κτἑ. ὀλίγοι δέ τινες κτἑ.* Uno tantum loco aberrat Capitolinus ab Herodiano: cum enim sciret Gordianum ab Alexandro in Africam esse missum (cf. Gord. 5, 2)

Augustae scriptoribus diss. Regimontii 1869 p. 45—69) c. 9, 6—7 »nobilem circa se neminem passus« et »praeterea omnes Alexandri ministros variis modis inter eruit« ex Herodiano fluxisse mihi verisimile esse non videtur, cum Capitolinus plura afferat Herodiano itaque fonte largiore usus esse videatur.

1) Vit Max. 21, 5 Capitolinus verbis »plerique sane dicunt« ad Herodianum VIII 1, 4 transit plerique = Herodianus. Vit Max. et Balb. 11, 4. Tantum sane laetitiae fuit etc. ex Herodiano VIII 6, 8 fluxit. Ad Cordum deinde transit 12, 4 verbis »missi sunt denique.« cf. quoque vit Max. 29, 6. 33, 2. Dubium mihi est num Capitolinus vit. Gord. 13, 7 verbis »usus est sane« ad Her. VII 7 transeat. cf. vit. Gord. 21, 5.

ex memoria inseruit 14, 2 »ab Alexandro ex senatus consulto.« Falso Dändliker 15, 1—4 Herodiano abiudicavit.

Cum caput 19 Herodiani VII 9 in breve contraheret Capitolinus addidit tamen ad Punicam fidem illustrandam: »quin immo perfidiae« (cf. vit Gord. 14, 1. 15, 1. 16 2) et male vertit Herodiani VII 9. 11 *ἀγρούς τε καὶ κώμας ἐμπιπράναι λεηλατεῖν τε τοῖς στρατιώταις ἐπέτρεπεν* in »donaria militibus divisit.«

Cum iam omnes vitae Maximinorum locos tractaverim quos Capitolinum ex Herodiano hausisse duco, restat ut disseram de 13, 3—4. »Pacata Germania Sirmium venit, Sarmatis inferre bellum parans atque animo concupiens usque ad Oceanum septentrionales partes in Romanam ditionem redigere; quod fecisset, si vixisset ut Herodianus dicit, Graecus scriptor, qui ei, quantum videmus, in odium Alexandri plurimum favit.« Herodianus VII 2 enim narrat Maximinum Sirmii in Paeoniae urbe maxima hiemasse Germanos usque ad Oceanum subacturum. Quo loco levitas atque imperitia Herodiani optime cognoscitur, cum Sirmium maximam Paeoniae urbem esse et Maximinum Sirmii bellum contra Germanos parasse dicat. Quae falsa ineptaque Herodiani corriguntur a Capitolino 13, 3 cum dicat, Maximinum contra Sarmatas bellum parasse atque omittat Sirmium Paeoniae esse urbem. Capitolinus autem auctores tam imprudenter excerpsit, seque tam imperitum stultumque auctorem praestitit, ut perversissima quaeque et inter se discrepantia transscriberet. Itaque Capitolinum ipsum Herodianum non correxisse duco, sed totum hunc locum alio ex auctore hausisse. Inde apparet scriptoribus haudquaquam fidem esse habendam, eos quaecunque libros vel acta citent ipsos inspexisse, etiamsi iis praesto fuerint [1]).

---

1) Iulius Brunner qui de Vopisco disseruit apud Büdinger II 1—111 credidit omnes epistolas senatusque consulta a Vopisco tradita genuina atque ex ipsis actis hausta esse, cuius sententiam pro-

Cum iam ad vitam Gordianorum aggrediar nescio quibus de causis Dändliker iudicaverit cap. 7 et 8, 5—6 maximam partem ex Herodiano fluxisse, cum primordia imperii longe alio modo narrentur atque ab Herodiano et a Capitolino ipso (vit Max. 14, 15) narrantur. Herodiani narratio continetur 9, 2, ubi lacunam quam Peter constituit hunc fere in modum explendam esse duco. Alii quidem occiso *rationali dicunt eum statim esse Augustum appellatum* quod Gordianus ante nescierat.

C. 13 §. 6—9 fere verbotenus ex Herodiano VII 7, 1—5 compilata sunt. Capitolinus Herodiani narrationem in brevius contraxit, attulit tamen ut accuratius Herodiano scriberet »et in medio derelictus est.«

Dändlikero concedere non possum cap. 16 ex Herodiano esse sumptum cum Capitolinus res longe alio modo referat atque Herodianus. Quod ut demonstrem unum tantum exemplum affero: vit Gord. 15, 2 »Gordianus tamen fortunam belli experiri cupiens filium suum contra Capelianum misit« et Her. VII 9, 4: *Γορδιανὸς μὲν οὖν ὁ πρεσβύτης, ὥς τινές φασιν ἐννοῶν τὴν δύναμιν τοῦ Μαξιμίνου οὐδὲν δὲ ὁρῶν ἐν Λιβύῃ ἀξιόμαχον ἰσόῤῥοπον, ἀνήρτησεν ἑαυτὸν βρόχῳ.*

Quam inepte Capitolinus historiam compilaverit optime cognosci potest ex vit Max. et Balbini c. 8—10. Herodianus VII 10. 11 duas seditiones Romae ortas esse tradit, quarum alteram populus moverit cum Gordiani filium Augustum appellari voluerit alteram praetoriani, qui irati fuerint, quod duo suorum a senatoribus occisi essent. Quarum alteram seditionem refert Capitolinus 8, 1—3 alteram 10, 4—8. Adnotandum est, Capitolinum hoc quoque loco inter Herodiani verba quaedam inseruisse »cum mille edicta Balbinus proponeret«, neque Herodiani verba satis accurate legisse cum ab Herodiano aberrans scriberet et in urbe et in castris eodem tempore esse pugnatum militesque pacatos in urbem venisse. Praeterea inter Herodiani epitomen de eisdem seditionibus alio ex auctore narratio inseritur c. 9. Quo ex capite apparet unam tantum seditionem Romae fuisse et eam quidem inter praetorianos et populum. Nisi Herodianus adhuc exstaret fortasse iudicaremus, Capitolinum apud auctorem suum tres seditiones narratas invenisse. Falso ergo Dändliker iudicavit cap. 9 §. 1—3 magnam in partem ex Herodiano fluxisse (l. c. p. 306) C. 12 et 14 Herodianus excerpitur eodem modo quem iam saepius invenimus (Her. VIII, 7—8). Bis tamen narratio interrumpitur §. 4—6 »missi sunt deinique — nescivit« et §. 8 »quamvis — nequeunt« alio ex auctore, ut videtur e Cordo insertis. Cap. 14 ex Herodiano VIII 8 fluxit, Herodiani verbis inversis cum §. 1 et 2 apnd Herodianum post ea posita sint, quae §. 3 narrantur-Capitolinus denuo prodit se Graecae linquae haudquaquam satis peritum fuisse cum Herodiani VIII, 8, 6 *ἐν ᾧ δὲ περὶ τούτων διαφέρονται* verterit in »deinde usque ad litem perventum est«, itemque Her. VIII, 8, 7. *βοῶντές τε πρὸς τὸν δῆμον ὅτι ἄρα εἴησαν ἀπεκτονότες οὓς ὁ δῆμος ἐν ἀρχῇ οὐκ ἐβούλετο ἄρξαι* in »insultantibus militibus senatui et populo«. Uno loco Capitolinus quaedam addit sua ex mente »et forte in alia parte palati« quod apud Herodianum non invenitur. Iam saepius invenimus talia a Capitolino esse addita. Affert ad hanc scribendi rationem illustrandam Brocks (p. 63 et 64) vit Gord. 10, 6 et vit Alb. 8, 3. Nescio an recte; nam vit Gord. 10, 1 Capitolinus fortasse negligenter »*πρὸ τοῦ οἰκίσκου*« vertit in »longam porticum«, vit Albini autem cap. 8 non ex Herodiano fluxisse infra demonstrabitur.

Itaque iam patefecimus, quam rationem Capitolinus in

---

bare non possum, sed in Vopisci quoque vitis quaestionem de una quaque epistula instituendam esse duco utrum genuina sit an commenticia, multasque fictas epistolas a Vopisco memoriae esse traditas. Ceterum Brunner non omnibus locis ea, qua debebat cura scripsit cum p. 23 Cari vit. 9, 1 verterit: dass es ein Verhängniss des Schicksals sei, dass die Römer nicht über den Ctesiphon hinauskommen.

historia scribenda adhibuerit. Vitas compluribus ex auctoribus sic compilavit ut, quae de eadem re plures auctores retulissent, narraret, neque unquam diiudicaret, cui auctorum maior fides habenda esset. Brevia praeterea excerpta in narrationem interposuit, quae pleraque verbis incipiunt »sane« vel »praeterea« vel »denique«.

Antequam ad quaestionem de prioribus vitis instituendam aggredior, paucis tantum verbis de auctoribus, quos scriptores citant, mihi disserendum est. Quorum inter omnes praeclarissimum atque fidelissimum Marium Maximum fuisse, quisquis hanc quaestionem habuit, intellexit. Marius Maximus scripsit vitas imperatorum a Nerva usque ad Heliogabalum omissis tamen iis, qui quamvis imperium adfectassent, attamen ad imperium non pervenerant, cf. vit. Firm. 1, 2. Marius Maximus Avidium Marci temporibus, Albinum et Nigrum Severi non suis propriis libris sed alienis innexuit; et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit amare brevitatem. Quid Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, qui et mythistoricis se voluminibus implicavit, num ad istam descriptionem curamque descendit?«

Quo ex auctore scriptores h. Aug. maximam vitarum partem conflasse constat. Nam praeterquam quod Marium Maximum tricies bis citant, id mirum est quod scriptores, ubi vitas imperatorum scribere aggrediuntur, qui non a Mario Maximo tractati erant, se excusant, quod talia suscipiant aut explicant, quanta difficultas sit in talibus vitis scribendis vit Heli 1, 1. 2. 7, 5. vit Avid 3, 1. vit Nigri 1, 1. 9, 1—5. vit Macrini 1, 1. 15, 3—4 (non enim credo Marium Maximum Macrini vitam in lucem edidisse nec Diadumeni vitam scripsisse) vit. Get. 1, 1. Talia nulla in vita invenimus, qua scriptoribus facultas esset data Marium Maximum epitomandi.

Sed cum de Mario Maximo infra largius disseram, iam transeo ad alterum vitarum scriptorem Iunium Aelium Cordum. De quo Capitolinus vel Lampridius vit. Macr. 1: »et Iunio quidem Cordo studium fuit imperatorum vitas edere quos obscuriores videbat; qui non multum profecit. Nam et pauca repperit et indigna memoratu, adserens, se minima quaeque persequuturum, quasi vel de Trajano aut Pio aut Marco sciendum sit, quotiens processerit, quando cibos variaverit et quando vestem mutaverit et quos quando promoverit, quae ille omnia exsequendo libros mythistoriis replevit talia scribendo etc.« Cordus igitur Traiani, Pii, Marci vitas conscripsit, quos nemo obscuriores imperatores fuisse diiudicabit. Itaque scriptorem hoc loco id tantum dicere arbitror Cordum praeter eos imperatores, quos clariores videret, obscuriores quoque tractasse. Ineptissime Cordus enarravit quod quantumque quisque imperator comederit, quales vestitus habuerit. cf. vit. Albin. 5, 10. »quae qui volet nosse Helium Cordum legat, qui frivola super huius modi ominibus cuncta persequitur« ibid. 11, 1. »Gulosum eum Cordus, qui talia persequitur in suis voluminibus, fuisse dicit... nam et quingentas ficus passarias ieiunum comedisse dicit et centum persica Campana et melones Ostienses decem et uvarum Labicanarum pondo viginti et ficedulas centum et ostrea quadringenta (!).« vit. Max. 4, 1, comedisse et quadraginta libras carnis, ut autem Cordus dicit, etiam sexaginta (!)« ibid 27, 7. vit. Gord. 21, 3 ss. Cordo igitur, qui maxima cum insolentia de rebus, quas nullo modo scire potuit, mendacia finxit, etiam aliis in rebus enarrandis haudquaquam fidem esse habendam, quivis mihi concedet [1]). Mihi quidem quaecunque ab eo tradita sunt suspecta videntur. Ita falso dixit vit. Gord. 17, 3 familiam Gordianorum ex An-

1) Dändliker (p. 306–311) magnam habet fidem Cordo, cum credat eum senatus consulta epistolasque ex actis memoriae tradidisse.

toniorum, Antoninorum Corneliorum familia coaluisse, contra Dexippum contendit vit Gord. 19,9 Gordianum numquam uxorem in matrimonium duxisse, supra modum in bellis Germanicis enarrandis Maximini res gestas extulit atque exaggeravit, omina mortis Maximini »usque ad fabellam« scripsit vit Max. 25, 4. Fabulosa quoque sunt quae e Cordo afferuntur vit Gord. 26, 2 motum terrae esse finitum inspectis libris Sibyllinis celebratisque omnibus quae illic iussa videbantur, et ibid. 33, 5. omnes Gordiani percussores »sua manu suisque gladiis et isdem quibus illum percussissent se interemisse«. Falso etiam vit Gord. 22, 1 Gordianum sedecim annos natum ad imperium venisse tradidit, cum Herodianus VIII 8, 8. eum tredecim annos natum fuisse dicat, finxitque epistolas vit Alb. 7, 3 Gord. 14, 7. Prima epistola Alb. 7, 3 quomodo Cordo in manus venerit non intelligendum est. Severus enim, si eiusmodi epistolam scripsit, certe studuit, ut post Albini mortem deleretur. Qua ex epistola optime Cordi ratio scribendi perspicitur, cum omnium adiectivorum superlativum afferat. De rebus Veneriis Maximini Cordum mentitum esse Capitolinus ipse suspicatur vit Max. 23, 10, reliqua, qui volet nosse de rebus Veneriis et amatoriis, quibus eum Cordus aspergit, eundem legat.« Atque ut iam reliqua omittam, legat, quemcunque mendacia atque fabulas Cordi cognoscere iuvat vit Max. 6, 8—9. 28, 8—10. Quo ex mendacissimo auctore multa in priorum imperatorum vitas irrepsisse demonstrare conabor.

Atque iam reliquis auctoribus omissis quibus scriptores usi esse mihi videntur, ad quaestionem ipsam aggrediar atque primo de Marci vita disseram quae mihi aptissima videtur et ad Capitolini et ad Marii Maximi scribendi rationem cognoscendam.

§. 1.

De vitis M. Antonini Philosophi, Veri, Avidi Cassi.

Vita Marci et in Bambergensi et in Palatino codice Capitolino tribuitur. Attamen in dubium vocavit Brocks [1]) num haec vita a Capitolino sit scripta. Brocks argute et docte de vitarum auctoribus disseruit, omisit autem de scriptorum fontibus accuratius disserere. Brocks Capitolino vitam Marci abiudicavit quod putat: Capitolinum gravius quoddam et amplius scribendi genus affectasse quod non ut ceteri scriptores res gestas ex compluribus historiae monumentis desumptas cognitioni principum suorum straverit sed plures auctores excerpserit. Quod quidem argumentum me perducere non potest ut vitam Marci a Capitolino non scriptam esse putem. In vitis enim Albini, Macrini, Alexandri, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini quas solas Brocks Capitolino tribuit, scriptoribus Marius Maximus non praesto fuit, itaque compluribus ex fontibus vitas compilaverunt, cum omnibus reliquis in vitis Marium Maximum largissimum fontem epitomaverint. Et verborum quasdam proprietates vel grammaticae, quas Brocks aut Lampridii aut Spartiani aut Capitolini esse constituit iam in fontibus ipsis inventa esse infra demonstrabitur. Equidem duco scriptorum diversitatem potius ex eo cognosci posse, quomodo fontes suos compilaverint, atque hac in re Capitolinum et Spartianum multum inter se differe.

De fontibus vitae Marci disseruit Müller p. 47—61 et 133—137. Primam quidem partem cap. 1—20 compluribus ex auctoribus compilatam esse putat, c. 21 – 29 nihil esse nisi epitomen Marii Maximi. Cui adsentire non possum. In vita Marci magna cum diligentia narratur: 1) de familia Marci (cap. 1), 2) de infantia atque educatione atque de vita privata (c. 2—4), 3) de adoptione atque muneribus Marius Maximus.

1) Brocks l. c. p. 23 ff. Richter Rheinisches Museum VII 39. Teuffel. Römische Literaturgeschichte 370, 4. 378.

publicis (2—5), 4) de primordiis regni (6—7), 5) de rebus adversis et de bellis (c. 8—9, 6), 6) de administratione rei publicae (9, 7—12, 12) [1]), 7) de bello Marcomannico atque de Veri morte (12, 13—14). Quam narrationem tam conditam atque concinnam esse ut valde a nostrorum scriptorum ratione abhorreat, recte iam monuit Wietersheim [2]). Quicunque scriptores diligentius legit, id mihi concedet, hanc concinnitatem non Capitolino vel Spartiano ineptissimis imperitissimisquè scriptoribus deberi sed ei auctori, qui his in capitibus epitomatus sit. Quem auctorem Marium Maximum fuisse certissimis argumentis demonstrari potest. Primo enim in capite Capitolinus Marium Maximum nominat; »cuius familia in originem recurrens a Numa probatur sanguinem trahere, ut Marius Maximus docet.« Capitolinum ergo, qui primo in capite Mario Maximo nisus sit, reliquis quoque in capitibus Marium Maximum epitomasse duco. Quod eo quidem confirmatur, quod, cum cap. 15 alio ex fonte fluxerit atque 1—14 ut infra demonstrabitur, Marius Maximus autem vitam Marci duobus libris scripserit, quorum prior res gestas Marci usque ad Veri mortem continuit [3]), 14 §. 8 mors Veri narratur. Capitolinus igitur, postquam primum Marii Maximi librum epitomavit cap. 15—19 attulit, quae apud ceteros scriptores memorabilia invenit — atque

1) Haec quoque optime esse disposita monet Dirksen l. c. p. 68—70.

2) Geschichte der Völkerwanderung II. p. 9. »Wenn wir nur diese Capitel von den scriptores hätten, würde unsere Achtung vor denselben grösser sein.« In eo autem errat Wietersheim quod putat reliquorum capitum perversitatem non Capitolino deberi sed editori totius corporis historiae Augustae, qui in Capitolini narrationem perversas narratiunculas inseruerit. Eadem fere Casaubonus, Tillemontius, Püttmannus contenderunt.

3) Vit. Av. Cas. 9 §. 5 »legat Marii Maximi secundum librum de vita Marci, in quo ille ea dicit, quae solum Marcus mortuo iam Vero egit.«

his in capitibus sine ullo ordine diversissima excerpta contulit —, cap. 20—28 deinde secundum Marii Maximi librum epitomavit, quod iam Müller (p. 50—53) recte adnotavit. Cap. 20 enim incipit: »Sed Marco Antonino haec sunt gesta post fratrem.« Quibus ex verbis apparet hoc caput pertinere ad c. 14 itemque 21, 6 »instante adhuc pestilentia ad c. 13 refertur. Narrantur igitur c. 20—28: 1) exsequiae Veri (c. 20), 2) profectio Marci ad bellum Marcomannicum atque bellum ipsum (21—22), 3) leges quaedam atque edicta Marci (23—24, 5), 4) Cassi defectio et profectio Marci in orientem (24, 5—26), 5) reditus Marci bellumque Marcomannicum iterum susceptum (c. 27), 6) mors Marci (c. 28). Quae capita e Marii Maximi secundo libro hausta esse, compluribus confirmatur indiciis: c. 21 §. 2 »et cum per Aegyptum Bucolici milites gravia multa fecissent, per Avidium Cassium retunsi sunt« verbotenus inveniuntur in vita Avidii Cassi 6, 7: »nam et cum Bucolici milites per Aegyptum gravia multa facerent, ab hoc retunsi sunt,« et hoc quidem loco additur: »ut idem Marius Maximus refert in eo libro quem secundum de vita Marci Antonini edidit.« Deinde cap. 25, 10 Marius Maximus citatur, Marcus enim orationem habuit, quam Marius Maximus memoriae tradidit. Quam cum Capitolinus inserere nollet, dicit tamen, inditam fuisse Marii Maximi libro.

Itaque nobis Marii Maximi epitome praesto est, et iam de scribendi ratione atque fide Marii Maximi disserere possemus, nisi Capitolinus, ut iam supra demonstravimus aliis ex auctoribus quaedam excerpta epitomae inseruisset. Quae quamquam non tam facile invenienda sunt attamen secernenda sunt. **Excerpta.**

Ac primum quidem mihi huiusmodi excerpta videntur c. 5, 1—6. Iam verba quibus hoc caput incipit: »His ita se habentibus« suspicionem movent Capitolinum ad alium auctorem transire. Accedit quod §. 6 eadem fere quae 1—5 enarrantur. »Cum — nec idoneus utpote decem et octo

annos agens Marcus haberetur, Pium Hadrianus ea lege in adoptionem elegit ut sibi Marcum Pius adoptaret.« §. 6: »octavo decimo ergo aetatis anno adoptatus in secundo consulatu Antonini, iam patris sui.« Haudquaquam deinde credendum est Marium Maximum, qui Hadriani quoque vitam composuit in Marci vita de Veri somnis retulisse. Sed luce clarius fit, §. 1—5 non e Mario Maximo emanasse rebus ipsis quae narrantur: »Pium Hadrianus ea lege in adoptionem elegit ut sibi Marcum Pius adoptaret ita tamen ut et Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret.« Marcum et Verum ab Antonino Pio adoptatos esse et inscriptiones et nummi ostendunt [1]). Marium Maximum qui tam accurate de Marci familia retulit, ista nescivisse incredibile est Multis locis, quos Marii Maximi esse ostendimus, Verus frater Marci appellatur cap. 7, 3. 12, 7. 15, 8, 20, 1, aliisque locis, quos plurimos e Mario Maximo fluxisse demonstrabimus, adoptio ad veritatem enarratur vit Hadr. 24, 1. Pii 4, 5. Hel. 5, 12. 6, 9. Veri 3, 6. Quomodo fabula orta sit Verum a Marco non a Pio esse adoptatum apparet ex vit Marci 7, 7 »et (sc. Marcus) quasi pater Lucii Commodi esset, et Verum eum appellavit filiamque suam Lucillam fratri despondit. Cum igitur quaecunque ad rem publicam administrandam pertinerent a Marco gererentur neque Verus ullo modo rebus publicis operam daret, posteri eo perducti sunt, ut Marcum solum imperatorem fuisse Verumque ab eo adoptatum esse putarent. Qui error, cum in Marii Maximi scripta non irrepserit, invenitur tamen in epistola vit Cassi c. 1. §. 7—8. Qua in epistola Pius avus Veri, pater Marci cognominatur. Quam ob causam Czwalina (p. 20 ss.) epistolam spuriam esse iudicavit. Defendit Müller (p. 54—57)

1) Quae attulit Czwalina. De epistularum actorumque quae a scriptoribus hist. Aug. proferuntur fide atque auctoritate Pars prior Bonnae 1870 cf. p. 20.

epistolam. Putat enim Verum adoptatum quidem a Pio, non tamen filium sed nepotem Pii appellatum esse. Quod demonstrat ex vita Veri 3, 6: »hic (sc. Verus) cum tantis deliciarum et luxuriae quateretur erroribus ab Antonino videtur ob hoc retentus quod cum pater ita in adoptionem Pii transire iusserat ut nepotem appellaret.« Quem locum corruptum esse et Mommsen et Oberdick suspicati sunt. Mommsen [1]) pro Pii voluit sibi, Oberdick [2]) pro Pii transire pertransire. Quibus emendationibus neglectis Müller putat Pium ita Verum adoptasse, ut eum nepotem non filium appellaret. »Durch diese Bestimmung stellte sich das sonderbare Verhältniss ein, dass zwar Marcus und Verus durch die Adoption des Antoninus sich als Brüder gleich gegenüberstanden, Verus aber denjenigen, welchen Marcus zum Vater hatte Grossvater nennen musste. Andrerseits hatten beide wieder den gleichen Grossvater Hadrian, dieser war Grossvater des Verus als Adoptivvater von dessen natürlichem Vater Ceionius Commodus.« Sed numquam exauditum est apud Romanos, quendam in nepotis locum esse adoptatum, et si hic unus Verus (nescio quibus de causis) in nepotis locum esset adoptatus, certe omnibus in locis, qui adoptionem tractant hoc esset expositum, neque Marcus et Verus fratres appellari possent. Atque, etiamsi, quod in codicibus est »Pii« incorruptum esset, ne tum quidem vertendum esset ut Müllero videtur sed subiectum verbi »appellaret« 3, 6 est pater = Hadrianus non Pius. Assentio igitur Czwalinae censenti epistolas vit. Cas. c. 1 et 2 esse spurias et 2, 5 nomen »Hadrianus« e margine in textum irrepsisse. Aliis quoque de causis epistolae suspectae sunt. Certe Marcus non scripsit »successorem suum nullus occidit« nec quidquam fecit ad seditionem sedandam, sed cum Cassius ab eo deficeret, magna cum celeritate in Orientem

1) In editione Iordani et Eyssenhardti.

2) Zeitschrift für österreich. Gymnasien 1865 p. 739.

profectus est. Rhetorem quendam epistolas redegisse apparet ex: »Avidius avidus est« (cf. 9, 7).

Itaque cum cap. 5, 1—5 Mario Maximo abiudicanda sint, ea non ex uno auctore hausta esse arbitror. 5, 1 »post obitum Lucii Caesaris Marcum Verumque adoptatos esse narratur, 2—4: quomodo idem Verus, cuius mors iam enarrata est se gesserit cum ab Hadriano adoptatus esset. Itaque §. 1 et 2—4 non ex eodem fonte hausta esse duco, quod etiam cognoscitur verbis: sane ea die etc.« §. 5 deinde haudquaquam ad 2—4 attinet. Itaque, quod supra demonstravimus tria excerpta Capitolinus Marii Maximi epitomae indidit.

In Marium Maximum deinde inditum esse duco 12, 6: »sane quamvis esset constans erat etiam verecundus.« Suo loco enim attulit Capitolinus 4, 10: »cum frugi esset sine contumacia, verecundus sine ignavia,« nec intelligendum est, cur Marius Maximus 12, 6 denuo narraverit, quod iam 4, 10 allatum est. Suspectum quoque est »sane.«

Tertius locus, qui mihi insertus esse videtur est c. 22, 3—6. Cum eiectis paragraphis 3—6 narratio belli Marcomannici optime inter se consentiat non intelligitur cur hoc loco narratum sit Marcum amicos de bellicis et civilibus rebus semper in consilium adhibuisse atque litteris vel sermonibus se contra detrectatores defendisse [1]). Herodiano comparato ostendimus talia inserta pleraque verbis »sane,« vel »denique« vel »praeterea« significari, quae quidem hoc loco inveniuntur: »semper sane«, »denique sententia,« »sane quia.« Quare §. 3—6 non ex uno scriptore fluxisse, sed ex duobus vel tribus auctoribus collata esse puto.

Cap. 23, 7: »de amatis pantomimis ab uxore fuit sermo,

1) Marcus quidem inter bellum Marcomannicum librum *εἰς ἑαυτὸν* scripsit (ann. 169—176), sed dici non potest Marcum hoc libro, »male loquentibus vel sermone vel litteris respondisse« cum »graviter carperetur.«

ut superius diximus, sed haec omnia per epistulas suas purgavit.« Sed Capitolinus 19, 7 quidem retulit, »Faustinam condiciones sibi et nauticas et gladiatorias elegisse,« nihil autem dixit »de amatis pantomimis.« Itaque »ut superius diximus« ex auctore suo transtulit Capitolinus [1]). Quem auctorem Marium Maximum fuisse non verisimile est, nam cap. 26, 5 narratur Marcum uxoris impudiciam aut nescisse aut dissimulasse, itaque negatur Marcum de uxoris impudicia epistolas scripsisse [2]). Itaque aut 23, 7 aut 26, 5 Mario Maximo abiudicanda sunt. At 26, 5 cum Faustinae mors enarretur, optime de moribus eius disputatur, 23, 5 autem perverse et stulte Capitolinus cum de pantomimis quaedam memoriae tradat, »de amatis quoque a Faustina pantomimis etc.« nescio quo ex auctore refert.

Müller [3]) c. 24, 6—7 non e Mario Maximo emanasse iudicat, sed Capitolinum, cum citet »quidam dicunt,« »alii dicunt« plures libros inspexisse. Sed Capitolinum talia ex auctore suo transtulisse et saepius [4]) vidimus et hoc qui-

1) Quod mirari non debemus. Saepius enim talis negligentia invenitur apud scriptores historiae Augustae. cf. vit. Com. 1, 1 »de Commodi Antonini parentibus in vita Marci satis est disputatum.« Quod »in vita Marci« etiam apud Marium Maximum scriptum erat neque existimandum est, quod Richter vult (Rheinisches Museum VII p. 40), Lampridium quoque vitam Marci conscripsisse, quae adhuc non exstaret. Deinde vita Veri 9, 10. c. 10, 2. c. 11, 1. est referendum ad Marci vitam a Mario Maximo scriptam. Fabulam enim »quam Marci non capit vita« Capitolinus in vita Marci 15, 5 memoriae tradidit, et »illa fabula, quae in Marci vitae posita est« non invenitur in vita Marci a Capitolino scripta. Atque vit Ant. Pii 9, 1, »fames, de qua diximus« ex auctore suo transtulit scriptor, cum de fame nihil retulerit.

2) Quod confirmatur verbis Marci Aureli. *Εἰς ἑαυτὸν* I 17. *τὸ τὴν γυναῖκα τοιαύτην εἶναι, οὑτωσὶ μὲν πειθήνιον οὕτω δὲ φιλόστοργον οὕτω δὲ ἀφελῆ.*

3) L. c. p. 50. Anm. 3,

4) Cf. p. 3 et adn. 18 et vit Max 22. 3 »quod quidam dicunt.« Her. VIII 3, 0.

dem loco verisimillimum est. Vulcacius Gallicanus enim in vita Cassi c. 7 et 8 iisdem fere verbis utitur atque Capitolinus; neque tamen Vulcacium Capitolinum sed Marium Maximum descripsisse et infra demonstrabitur et apparet ex, 6, 6. 6, 7. 9, 5. 9, 9. Et cum Vulcacius quoque eadem verba quae Capitolinus afferat 7, 1: »ut quidam dicunt Faustina volente.... ut alii dicunt« apparet utrumque hic Marium Maximum descripsisse. Marius Maximus igitur retulit de Faustina auctores discrepare, ipse Faustinam coniurationis consciam fuisse iudicavit cf. vit. Cassi 9, 9.

Ex Graeco quodam auctore mihi inserta esse videntur c. 27, 11—12. Capite 28 enim initium aegritudinis Marci deinde conventus amicorum, quem habuit ante biduum, quam exspiraret enarrantur. Qui conventus alium in modum narratur 27, 11 12. Nam Marcus »dicitur ostendisse eandem sententiam de filii quam Philippus de Alexandro, cum de hoc male sentiret, addens etc.« Quae a Graeco quodam auctore ficta esse puto, qui doctum atque eruditum se praestare voluerit [1]).

Ita iam explanatis quae e Mario Maximo fluxerunt, de capitibus 15—20 et 29 disserendum est, quae compluribus ex auctoribus coaluisse luce clarius est. Atque Capitolinus mihi hunc in modum vitas scripsisse videtur, ut antequam ad vitas compilandas aggrederetur excerpta sibi fecerit compluribus ex auctoribus, quorum partem Marii Manimi epitomae indidit, reliqua in capita 15—20 et 29 contulit. Quae capita talibus ex excerptis, quae haudquaquam inter

1) Non recte enim Salmasius locum explicavit. (Scriptores historiae Aug. cum notis Salmasii ed. Casaubonus Par. 1620. Notae ad Capitolinum p. 98) qui locum ad illud Philippi: »O fili, Macedonia iam tibi est nimis parva« id est »tuis vitiis minor« spectare putat. Sed cum »temporale« est. Philippum enim quondam gravissime Alexandro iratum fuisse, cum eius matrem Olympiadem dimisisset complures testantur auctores. (Plut. vit. Alex. c. 9. c. 10. Pomp. Trog. hist. Phil. 20, 7. Arrian Anab. III. 6, 5.)

se cohaereant composita esse quivis intelliget. Quorum primum esse duco 15, 1 »Fuit — lacessitus.« Quod quidem neque ad Veri mortem (c. 14) neque ad libertos Marci (15, 2) spectat. Alterum est 15, 2 »multum sane — Agaclytus.« Ex vita Veri 9, 3 cognoscimus Capitolinum haec apud auctorem suum neque cum iis, quae 15, 1 neque quae 15, 3 referuntur coniuncta reperisse. Tertium est (15, 3—6) »Tantae — emisisse.« Quod in vita Veri quoque invenitur 11, 2 alio loco atque eo, quo 15, 2 affertur [1]). Quartum deinde est: »Cassius post mortem Veri a Marco descivit« [2]). Quintum 16, 1—2 »Iam — cucurrit.«

16, 3 epitome incipit ex alio quodam auctore sumpta. Cordus.
Capitolinus autem, cum iam e Mario Maximo narraverit, quae Marcus ante Veri mortem gesserit, non totam vitam epitomat sed eam tantum partem, in qua narratur, quae Marcus post Veri obitum gesserit. Refert igitur Capitolinus de Marci moribus et philosophiae amore (c. 16) [3]) de administratione provinciarum (c. 17, 1) [4]) de bello Marcomannico (17, 2—4) [5]) de morte Marci [6]). Quo ex auctore haec Capitolinus hauserit fortasse diiudicare possumus. Parum accurate enim dicitur (18, 1) Marcum octavo decimo imperii anno, sexagesimo et primo vitae diem supremum obiisse [7]), deinde mores et res gestae Marci supra modum extolluntur: 16,6 »Hadrianus hunc eundem successorem para-

1) False coniecit Oberdick l. c. p. 738 ad vit. Veri 11, 3 quae Marci nunc capit vita pro non capit vita. »Vitam Marci« a Mario Maximo scriptam esse ostendimus p. 17 adn. 1.

2) False Iordan et Peter haec verba uncis incluserunt, quae optime Capitolini scribendi rationem patefaciunt.

3) De quibus Marium Maximum secutus iam disseruit cap. 4.

4) = Mar. Max. cap. 21.

5) = Mar. Max. c. 12, 13—15, c. 21 ss.

6) = Mar. Max. c. 28.

7) Natus est Marcus an. 121, ad imperium venit 161, mortuus est 180.

verat, nisi . . .« [1]) 17, 1: »ingenti moderatione ac benignitate,« 17, 3 »Pannonias ergo Marcomannicis Sarmatis Vandalis simul etiam Quadis extinctis servitio liberavit,« 17, 7 »in munere publico tam magnanimus fuit ut centum leones una missione simul exhiberet et sagittis interficeret.« Atque idem auctor qui magna cum negligentia leviter tantum vitam et bella Marci perstrinxit, attamen multo accuratius Mario Maximo (cf. 21, 9) exponere studet, qualia pocula, vasa, vestes, gemmas Marcus vendiderit. Et cum Cordum talibus rebus fingendis magnam operam dedisse sciamus [2]), non temere arbitror Capitolinum hic Cordum secutum esse statui.

Excerpta. Brevia excerpta denuo incipiunt 18, 3: »denique priusquam funus conderetur, ut plerique dicunt, dixit.« Quod non e Cordo fluxisse duco. Vit. Max. 21, 5 enim vidimus (cf. p. 2). Capitolinum ad Herodianum transire verbis »plerique sane dicunt.« Et cum Capitolinus »sane« et »denique« eundem in modum adhibuerit, eum iam Cordum reliquisse et ad alium quendam auctorem transiisse puto. Quod eo confirmatur, quod cum 18, 2 iam de funere relatum sit [3]) 18, 3 Capitolinus ad ea revertitur quae gesta sunt »priusquam funus conderetur.« Quae deinde sequuntur: »Hic sane – reliquisset,« §. 5 »et parum sane debuit,« §. 6 »denique — penates,« tria singula excerpta esse duco propter verba sane et denique [4]). §. 7 deinde non ad §. 6 spectare puto cum longe alia de re referatur atque in §. 6, itemque §. 8 excerptum mihi esse videtur, cum dicatur:

---

1) Quod iam 5, 1 invenimus, quem locum Mario Maximo abiudicavimus.

2) Cf. vit. Opit. Macr. 1, 4 et vit. Max. 27, 7 »arrae regiae, quae tales ut Iunino Cordus loquitur, harum rerum persecutor — fuisse dicuntur: monolium etc.«

3) Falso enim Peter »regii funeris« uncis inclusit.

4) §. 6 »hodieque« non ad Capitolini tempora spectare duco (ut 19, 12) sed ex auctore Capitolini translatum esse.

»unde etiam templum ei constitutum.« »Unde,« tantum explicandum esset, si §. 7 enarratum esset, Marcum optimum et amantissimum principem fuisse. Sed cum §. 7 legamus Marcum auguriorum peritum fuisse, »unde« Capitolinum ex auctore suo transtulisse duco.

C. 19 deinde longior incipit narratio de Faustinae adulteriis. Utrum totum caput — §. 10 uno ex auctore fluxerit an §. 7 alterum incipiat excerptum diiudicare nolo. §§. 11 et 12 deinde sua ex mente addit Capitolinus et quasi iam ad finem vitae describendae venerit addit: »et quidem haec breviter et congeste« (cf. Müller p. 62). Deinde secundum Marii Maximi librum epitomat, et in cap. 29 contulit, quae in priora capita inserere oblitus est. Fortasse ex uno auctore fluxerunt 29 §. 1—3 »Crimini — incusantes« et 6—7 »dederunt — conviviis.« Confertur enim hic quodcunque Marco »crimini datum est.« Haec e Mario Maximo hausta esse iam propter ineptias rerum, quae narrantur non verisimile est. Accedit, quod, cum demonstraverimus Marium Maximum omnes vitas eundem in modum dispositas memoriae tradidisse, nulla alia in vita collata invenimus, quae cuique imperatori crimini data sint. In Iuliani enim vita cap. 9 non Mario Maximo sed Cordo deberi demonstrabitur. Itaque c. 29 §. 1—3 et 6—7 quoque fortasse e Cordo hausta sunt. Quae inseruntur inter Cordi narrationem §. 4—5 non e Mario Maximo hausta sunt, nam Marius Maximus alio iam loco de Marci comitate erga Cassium disseruit (26, 13). §. 8, 9, 10 deinde diversa excerpta haudquaquam inter se coniuncta sunt.

Ita iam me patefecisse puto, quo modo Capitolinus vitas compilaverit. Cum Marium Maximum et Innium Cordum epitomaret, ex aliis quibusdam auctoribus nonnulla excerpsit, quae excerpta et in epitomas indidit et in quaedam capita contulit. Quos auctores hunc in modum adhibuerit, diiudicare nequeo. Excerpta ipsa pleraque iam ex verbis »sane,« »praetera,« »denique« cognosci ădnotavimus.

Ne tamen quis credat, Capitolinum his verbis non uti, nisi ad alium transeat fontem, locos omnes afferam, quibus Capitolinus haec verba ponit. »Sane« bis positum est alio fonte non adhibito 19, 10. 21, 5 novies eum in modum quem supra adnotavimus 5, 2. 12, 6. 15, 2. 18, 4, 18, 5. 22, 3. 22, 5. 23, 9. 29, 4. »Denique« in Marii Maximi epitomen inditur 7, 2. 8, 14. 14, 6. 25, 11. 26, 13, alium auctorem indicat 18, 3. 18, 6. 19, 11. 22, 4. »Praeterea« hac in vita semper suo loco Capitolinus adhibet 1, 3. 4, 9. 10, 8. 11, 9. 12, 7. 21, 7.

Fides. Restat ut de Marii Maximi fide in Marci vita enarranda disseram. Qui cum in bello Marcomannico enarrando longe abhorreat a Xiphilino, non tamen Marii Maximi narratio tam perversa est quam voluit Wietersheim [1]). Quantum afferat c. 22 ad Germaniae gentes cognoscendas nemo est, qui non videat. Sed cum quaestio de bello Marcomannico longior sit, quam quae huic dissertationi indi possit, iam ad alios locos tractandos aggrediar. Atque id quidem apparet Marium Maximum accurate et diligenter collegisse, quaecunque de Marco invenire posset. Familia, iuventus, educatio Marci accuratissime exponuntur itemque quaecumque Romae erant facta, edicta imperatoris, deinde quae ad rem publicam administrandam attulit Marcus. Minus accurate atque explicate de bellis provinciarumque statu retulit.

Errasse videtur Marius Maximns de nomine matris Marci (1, 3) quae »Domitia Calvilla, Calvisi Tulli bis consulis filia nominatur.« Marci enim scriptis [2]) constat nomen eius fuisse Domitiam Lucillam. Sed cum in vita Iuliani quoque (1, 3) Marci mater »Domitia Lucilla« nominetur, quem locum e Mario Maximo fluxisse pro certo duco, non dubito quin Marius Maximus eumque secutus Capitolinus

---

1) L. c. II. p. 23.

2) Marcus Aur. *Εἰς ἑαυτόν* ed. Io. Mat. Schultz. Slesvici 1802. VIII 25.

scripserint »Domitia Lucilla«. Error in codices irrepsit cum scriba quidam filiam de patre nominatam esse putaret et e »Calvisi« nomine Calvillam fingeret. Neque tamen si de patre cognominata esset, ei nomen Calvillae sed Calvisillae esset. Nescio igitur, cur Peter non scripserit, quod iam complures docti viri voluerunt [1]) »Lucilla« pro »Calvilla.«

Cum igitur hic error non tam Mario Maximo sed codicibus tribuendus sit alio tamen loco Marium Maximum errasse recte Casaubonus [2]) et Sievers [3]) adnotarunt. Retulit enim Marius Maximus [4]) Marcum adoptatum esse octavo decimo aetatis anno id est inde ab VI Cal. Maias 138 usque ad VI Cal. Maias a. 139, et Hadriano in senatu referente quaestorem esse designatum. Hadrianus diem supremum obiit VI Id. Iul. 138. Quaestor ergo designatus est Marcus tempore quod intercedit inter VI Cal. Maias atque VI Id. Iul. 138 et quaestor fuit anni 139; quod confirmatur 6 §. 3 »adhuc quaestorem consulem secum Pius Marcum designavit,« Marcus enim consul erat ann. 140 [5]) et quaestor anni 139. Additur autem Marcum adoptatum esse octavo et decimo aetatis anno »in secundo consulatu Antonini,« qui consul fuit anni 139. Marium Maximum ergo in fontibus suis invenisse censeo, Marcum adoptatum esse octavo et decimo aetatis anno atque cum fastes consulares inspexerit, Anto-

---

1) Borghesi in Giornale arcadico I. 359—369. Figulina di Domizia Lucilla madre dell' imperatore M. Aurelio. Noel des Vergers. Essai sur Marc Aurèle d'après les monuments épigraphiques. Paris 1860 p. 3—4 adn. 1. Filiae quoque Marci nomen est Lucillae cf. vit. Marci 7, 8. vit. Veri 2, 4.

2) L. c. adnotationis ad hunc locum.

3) Sievers. Programm der Realschule des Iohanneums 1861, repetitum in: »Studien zur Kaisergeschichte« p. 170—223 cf. p. 187. Anm. 17.

4) Vit. Marci c. 5, 6. c. 6, 1.

5) Cf. Clinton. Fasti Romani ad ann. 140.

nini consulis nomen addidisse, false tamen, cum neglexerit octavum decimum annum aetatis Marci et in ann. 138 Camerini Nigrique consulatum et in Antonini Bruttiique ann. 139 incidere. Hoc loco ergo Marium Maximum non ea, qua debebat diligentia scripsit, et alio quoque loco errare videtur de Marci quaestura. 6, 1 »Hadriano Baiis absumpto cum Pius ad advehendas eius reliquias esset profectus, relictus Romae avo iusta implevit et gladiatorium quasi privatus quaestor edidit munus.« Cum Hadrianus mortuus sit VI Id. Iul. 138, Marcus autem quaestor ann. 139 fuerit, nullo modo quaestor Marcus avo »iusta implere« potuit. Casaubonus igitur et Sievers putarunt, hunc avum non Hadrianum sed Annium Verum esse, Verumque ergo Marco quaestore diem supremum obiisse. Quod probare non possum. Verba »relictus Romae cum Pius esset profectus« luce clarius ostendunt avum esse Hadrianum. Itaque interpungo post »implevit« nec »gladiatorium quasi privatus quaestor edidit munus« pertinere ad »avo iusta implevit« puto.

Itaque cum Marium Maximum una in re errasse iudicavimus reliqua tamen ad fidem enarravit, quamquam de bellis haudquaquam ea qua debebat ubertate retulit, quod magnopere dolendum est cum Xiphilini epitome in bello Marcomannico enarrando valde sit perturbata: Marium Maximum plurimis in rebus enarrandis cum Dione consentire iam Müller demonstravit [1]).

Vita Veri.

Vitam Veri quoque recte in codicibus Capitolino tribui existimo cum eundem in modum scripta sit atque Marci vita [2]). Sed cum Marius Maximus vitam Veri

1) L. c. p. 134—137.

2) Dicit quidem Capitolinus 2, 3 »ut in vita Marci exposuimus, vit. Marci 5, sed ex his solis iudiciis concludi non posse quis cuiusque vitae auctor sit, sed scriptores talia ex fontibus suis transcripsisse compluribus ostendimus exemplis.

non scripserit, Capitolinus in Veri vita complures epitomavit scriptores addiditque brevia excerpta aliis ex auctoribus facta Ita capita 1—4, 3 ex uno potissimum auctore fluxerunt , qui Vero admodum favit et multis in rebus a Mario Maximo abhorret. Veri iuventus enarratur alium in modum atque Marius Maximus de imperatorum iuventute disserere solebat. A posterioribus enim historiae Augustae scriptoribus inepte de singulis iudicatur imperatoribus utrum boni an mali principes fuerint, quod quidem apud Marium Maximum nusquam inveni [1]). Attamen c. 1, 3—5 scripta esse ut demonstretur Verum neque inter bonos neque inter malos principes poni quivis intelligit. Deinde contra Marium Maximum Marcus valde detrectatur 1, 4 »a cuius secreta [2]) lascivia morum et vitae licentioris nimietate dissensit.« Marium Maximum non fabulam divulgasse Verum Marco adoptatum esse (c. 2, 2. 2, 10) supra demonstravimus. Itaque haec capita non e Mario Maximo fluxisse quivis mihi concedet [3]). Et in haec quoque capita excerpta alio ex auctore intexuit Capitolinus. Non quidem 2, 8 »nec desunt qui dicant« »dicitur« alium produnt fontem — talia enim ex fonte suo transtulisse Capitolinum saepius vidimus — sed 3 §. 6 non ex eodem auctore fluxerunt atque reliqua. Cum enim reliquis in locis Verus defendatur ab opprobriis [4]) bonus eruditusque iuvenis fuisse dicatur 3, 6 dicitur: »cum tantis deliciarum et luxuriae quateretur erroribus ss.«

1) Cf. vit. Aurel. 42, vit. Cari 1, Firmi 1.

2) »Secreta« sic Oberdick l. c. pro »secta.«

3) Atque auctor quem hic epitomat Capitolinus mihi Mario Maximo nisus esse videtur. cf. vit. Ver. 2, 5 et Marci c. 2.

4) Cf. 1, 3. 2, 6. »omnibus deliciis iocis decenter aptissimus.« 3, 7 »amavit tamen Antoninus Pius simplicitatem ingenii puritatemque vivendi hortatusque est, ut imitaretur et fratrem.«

Cordus. Alius deinde fons incipit 4, 4 ex quo Capitolinus mihi hausisse videtur c. 4, 4—6, 6. Cum prioribus capitibus narratum sit Verum simplicibus fuisse moribus neque luxuriae voluptatibusque nimis deditum ideoque neque inter bonos neque malos principes ponendum esse, his in capitibus Verum omnibus voluptatibus immodice indulsisse traditur. Et narratur quid Verus per noctes fecerit, quem in modum se in conviviis gesserit, quando tesseris luderit, qualibus vasibus in conviviis usus sit, quin etiam qualis somni et digestionis fuerit, quos equos habuerit, quidque equi comederint. Atque cum talia a Cordo esse tradita Cordumque eorum quoque imperatorum, quos obscuriores videbat vitas scripsisse sciamus [1]), verisimile mihi esse videtur Capitolinum hic Cordo nisum esse.

Maximus. Cap. 6, 7—7, 10 e Mario Maximo fluxerunt. Quibus comparatis cum vit. Marci 9 et 12 facile cognosci potest, et quanta incuria Capitolinus in vita Marci Marium Maximum epitomaverit, et Marii Maximi historiam multo largiorem fuisse vita a Capitolino descripta. Ex vita Veri demum cognosci potest, qui duces Romanorum bellum Parthicum gesserint quos ad locos Romanorum exercitus processerint; vit. Ver. 7, 3 »egit per quadriennium Verus hiemem Laodiceae aestatem apud Dafnen« contraxit Capitolinus in vit. Marc. 8, 12 »apud Antiochiam et Daphnen vixit.« Verum ipsum ad Euphraten profectum esse impulsum comitum suorum secutum [2]) omisit Capitolinus in vita Marci. Quid sibi velit vit. Veri 7, 9: »susceptis a senatu nominibus etc.« patefit ex vit. Marci 12, 7—11. In Marii Maximi epitomen inserta sunt excerpta 6, 8—9 et fortasse 7, 4—5. Nam et 6, 8—9 omissa sunt in vita Marci nec credibile est Marium Maximum bellum Parthicum adeo exaggerasse, ut scriberet legatum interfectum esse et caesis legionibus Syros defectionem cogitasse etc. [1]) c. 7, 4—5 fortasse quoque Mario Maximo abiudicanda sunt, cum in Marci vita non inveniuntur.

1) Vit. Macrini 1, 3.

2) »Impulsnm comitum suorum secutus« Hirschfeldt coniecit pro »impulsu comitum suorum secundo« Hermes III, 230.

In capita 7, 10. 9. 6 deinde conferuntur singula excerpta eundem in modum collata quo vita Marci c. 15 ss. Quae singula cum secernere nolim ne nimis subtilis videar, tamen id apparet excerpta compluribus ex auctoribus collata esse. Repugnant enim inter se 8, 5 et 8, 6 »habuit hanc reverentiam Marci etc.«, et »minore circa fratrem cultu fuit Verus,« cum iam 8, 7 de histrionibus disseruerit Capitolinus, quos secum e Syria Verus eduxit, 8, 10 de eadem re tractat nomine tamen histrionis inverso, de Veri libertis duobus disseritur locis, 9, 3 et 9, 5 quorum alterum 9, 3 iam in Marci vita (15, 1) excerptum esse demonstravimus.

C. 9 §. 7—11 deinde e Mario Maximo esse hausta cognoscit quicunque vit. Marci c. 14 legerit. Sed ea quoque quae sequuntur (cap. 10 et 11) e Mario Maximo hausta esse duco. Primus liber vitae Marci finiebatur morte Luci Veri. Capitolinus in vit. Marci omisit quaecunque ad Verum solum pertinebant, cum vitam Veri quoque scribere sibi proposuisset, itaque c. 10 et 11 affert quae apud Marium Maximum de Vero invenit. Cap. 10 et 11 enim duabus de causis Mario Maximo tribuo: 10, 2 dicitur, »quamvis et illa fabula quae in Marci vita posita est,« neque tamen haec fabula in Marci vita a Capitolino descripta invenitur, itemque 11, 2 »fabula quam Marci non [2]) capit vita,« quam Capitolinus 15, 5 attulit in loco, quem non e Mario Maximo haustum esse ostendimus. Luce clarius ergo est »vitam Marci« vitam a Mario Maximo scriptam esse et cap. 10 et 11 e Mario Maximo magnam in partem fluxisse. 11, 2 enim Ca-

1) Multos scriptores de bello Parthico immodice mentitos esse nobis testatur Lucianus in: Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν ed. Iacobitz cf. c. 20 apud Reitz. II, 29.

2) Cf. p. 19 adn. 1.

pitolinus, cum Marium Maximum derelinqueret addidit, »quam Marci non capit vita.« Num 10, 4—5 et 11, 7 excerpta aliis ex auctoribus facta propter »sane« ducenda sint diiudicare nolo. Marius Maximus ergo cum Veri mortem narraverit de rumoribus quoque qui Romae de Veri morte divulgabantur de figura formaque corporis, de Veri aetate quaedam afferre voluit. Sed cum omnes vitas Suetoni [1]) in modum dispositas enarraverit, hanc dispositionem derelinquere noluit itaque Marci vitam in duos distribuit libros, quod nulla alia in vita invenimus. Fortasse id quoque eum perduxit ut Marci vitam duobus libris conscriberet, quod eundem vitarum numerum (12) explere voluit atque Suetonius [2]).

Atque his quoque capitibus cognosci potest Marium Maximum ad res chronologicas non semper eam, quam debebat, curam adhibuisse. Cum cetera quidem ad fidem enarasse videatur [3]), valde erravit de Veri aetate 11, 1 »imperavit cum fratre annis undecim.« Certissimis enim constat testimoniis Verum diem supremum obiisse ann. 169 itaque vix novem annos cum fratre imperasse [4]).

---

1) De Suetoni vitarum dispositione iam persaepe dissertum est ac nuper hanc de Neronis vita exposuit Lehmann. Claudius und seine Zeit p. 55. Clason Tacitus und Sueton p. 20.

2) 1) Vit. Nervae, 2) Traiani, 3) Hadriani, 4) Pii, 5 et 6, Veri et Marci, 7) Commodi, 8) Pertinacis, 9) Iuliani,, 10) Severi, 11) Caracalli, 12) Heliogabali. Neque enim Macrini neque Diadumeni vitam conscripsit.

3) Descriptio figurae vultusque Veri confirmatur effigie Veri in nummis nobis tradita Cohen Description historique des monnaies frapp. sous l'empire Romain III. tab. 1.

4) Eusebii chron. ad hunc annum Tillemont histoire des empereurs II, 5 §. 8 Clinton l. c. ad. h. ann. Cum Cohen (l. c. III, 1—37)2 41 nummos Veri afferat, nullus tamen exstat anni 170 vel 171. Wietersheim (l. c. II, 13) magna cum negligentia scripsit: »Tillemonts Irrthum, der Verus Tod, wahrscheinlich durch Ver. 11 verleitet, sogar in das Jahr 171 verlegt etc.« Sed Tillemont et II. p. 361 et p. 538 Verum anno 169 mortuum esse contendit.

Itaque vidimus Veri vitam a Capitolino eundem in modum compilatam esse atque Marci vitam: Marium Maximum et Iunium Cordum et tertium quendam scriptorem epitomavit addiditque excerpta ex aliis scriptoribus sumpta. A qua scribendi ratione abhorret Vulcacius Gallicanus ad quem iam transimus. Neque enim brevia excerpta sibi fecit antequam ad vitas scribendas aggrederetur [1]), sed tres tantum scriptores excerpsit, Aemilium Parthenianum, Asinium Quadratum, Marium Maximum. De Aemilio Partheniano nihil scimus nisi quod Gallicanus affert 5, 1 »qui adfectatores tyrannidis iam inde a veteribus historiae tradidit, de Quadrato dicit Suidas: »*Κοδράτος Ῥωμαῖος ἱστορικός. Ἔγραψεν Ἰάδι διαλέκτῳ Ἱστορίαν Ῥωμαϊκὴν ἐν βιβλίοις ιέ, ἐπιγραφὴν δὲ Χιλιετηρίδα καὶ περιέχει ἀπὸ κτίσεως Ῥώμης ἕως Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμαίας υἱοῦ Καίσαρος*« *Χιλιετηρὶς* ut iam libri titulus testatur erat historia imperii Romani per mille annos. Vossius ergo putat Suidam errasse [2]), cum Quadratum usque ad Alexandri Severi tempora historiam scripsisse tradiderit, contra quem Müller [3]) contendit Quadratum Romam Olymp. I conditam esse memoriae tradidisse. Sed non credendum est tertio saeculo quemquam a Varronis numero aberrasse. Itaque aut Suidas de Quadrati historia erravit, aut quod minus probabile esse videtur: Quadratus historiam imperfectam reliquit. Exstabat Quadrati historia adhuc Xiphilini temporibus, qui cum citat libro 70, 3, quo libro Cassi Dionis historia deperdita erat [4]). Historiam

---

1) Salmasius vitam Cassi a Gallicano non scriptam esse, putat cum nulla alia vita a Gallicano scripta sit, cuius sententiam optime refutarunt Richter Rheinisches Museum VII. p. 30. Brocks l. c. 40—48.

2) Vossius de historicis Graecis ed. Westermann p. 286—87.

3) Fragm. hist. Graecorum III, 659—662.

4) *Τὴν δὲ τελευτὴν ἡδίστην αὐτῷ κατ' ἴσου ὕπνῳ τῷ μαλακωτάτῳ γενέσθαι* quocum conferendum est vit. Ant. Pii 12, 6 »conversus quasi dormiret, spiritum reddidit.«

Quadrati a scriptoribus h. Aug. saepius in usum vocatam esse probabile est. Fragmenta quae apud Stephanum Byzantium exstant omnes ad res geographicas spectant. Quadratum quoque *Παρθικά* scripsisse apparet ex vit. Ver. 8, 1.

Maximus. Vita Avidi Cassi multas continet epistolas actaque senatus, quae omnia falsaria esse Czwalina magna cum sagacitate ostendit [1]), omissa tamen quaestione, quisnam epistolas finxerit et quibus fontibus Gallicanus usus sit. Müller [2]) totam fere vitam Mario Maximo tribuit, cuius sententiam probare nequeo. Marius Maximus enim Cassi vitam non conscripsit et de eo in vita Marci iis solum capitibus retulit, quibus bellum Parthicum et Cassi seditionem enarravit, et cum Marii Maximi epitome nobis praesto sit, facile diudicare possumus, quantum vitae Marci e Mario Maximo fluxerit. Itaque cap. 6, 7—9, 4 tantum e Mario Maximo fluxisse duco. Vulcacius enim cum accuratius et copiosius Capitolino scribat iisdem fere verbis iisdemque verbi constructionibus utitur atque Capitolinus. Cuis rei pauca tantum exempla afferam

vit. Marci	vit. Cassi
24, 6 nisi Avidius Cassius rebellasset sub eodem in Oriente atque imperatorem se appellasset ut quidam dicunt Faustina volente [3]) quae de ma-	7, 1 hic imperatorem se in oriente appellavit ut quidam dicunt Faustina volente [3]) quae valetudini Marci iam diffidebat et timebat, ne in-

1) L. c. p. 20—45.

2) L. c. p. 60—61.

3) »Faustina volente« affero contra Brocks, qui (p. 26) contendit tales ablativos absolutos nusquam apud Capitolinum inveniri, — Marci enim vitam a Capitolino non conscriptam esse ducit. — Tales ablativos absolutos non tam Capitolino vel Spartiano deberi quam Mario Maximo et his ex locis apparet et ex vit. Marci 25, 2 Cassi 7, 7 »absente Antonino,« et ex vit. Hadr. 2, 10 »favente Plotina Traiano leviter, ut Marius Maximus dicit, volente.« Quo loco Spartianum ablativi absoluti offendunt, itaque apponit: »ut dicit Marius Maximus«. Ita multas verborum constructionisque proprietates, quas Brocks vel Capitolini vel Spartiani esse contendit, iam in fon-

riti valetudine desperaret. alii dicunt ementita morte Antonini Cassium imperatorem se appellasse cum divum Marcum appellasset.	fantes filios tueri sola non posset atque aliquis existeret, qui capta statione regia infantes de medio tolleret. alii autem dicunt hanc artem adhibuisse militibus et provincialibus Cassium etc.... nam et divum eum appellasse dicitur ut desiderium illius leniret.
24, 8 et Antoninus quidem non est satis motus defectione nec in eius affectus saevit.	7, 5 nec tamen Antoninus graviter est iratus rebellione cognita nec in eius liberos aut adfectus saevit.
24, 9 sed per senatum hostis est iudicatus bonaque eius proscripta per aerarium publicum.	7, 6 senatus illum hostem appellavit bonaque eius proscripsit. quae Antoninus in privatum aerarium congeri noluit, quare senatu praecipiente in aerarium publicum sunt relata.

Cf. vit, Marci 25, 2 = Cassi 7, 6. M. 25, 2 = Cass, 7, 9—8, 1 M. 25, 4 = C. 7, 4. M. 25, 6—7 = C. 8, 7. M. 25, 7 = C. 8, 8. M. 25, 8—9 = Cass. 9, 1. M. 26, 11—12 = C. 9, 2—4. Quibus locis comparatis id apparet Vulcacium multo copiosius atque accuratius Capitolino scripsisse. Capitolinus, qui ei tantum rei studuit ut brevis esset, saepius tam obscure scripsit, ut ex eius verbis vix concludi possit, quid Marius Maximus scripserit. Sed cum Vulcacius quoque dicat se Marium Maximium in breve contraxisse (c. 9, 5), id apparet, quod iam saepius monuimus veterumque testimoniis quoque confirmatur [1]) Marium Maximum multo copiosius uberiusque epito-

tibus ipsis invenisse scriptores video. Quas sermonis proprietates Spartiani esse Brocks (p. 24—32) contendit magnam in partem e capitibus allatae sunt, quae e Mario Maximo fluxerunt.

1) Amm. Marcell. XXVIII 4, 14. Vopiscus vit. Firmi 1, 1—2.

matoribus suis scripsisse. Nihilo secius Capitolinus studuit ut Marii Maximi verbis uteretur; cum enim apud Capitolinum et Vulcacium eadem verba, verborumque constructiones nobis occurrant, id luce clarius est, utrumque haec ex auctore suo[1]) transtulisse.

In Mari Maximi epitomen alio ex fonte Vulcacius indidit 8, 2—8, 7, quae apud Capitolinum non inveniuntur, qua sola de causa Mario Maximo abiudicanda sunt. Suspecta etiam sunt propter 8, 2 »denique« et 8, 6 »dixisse dicitur«. Certissimum autem argumentum, hunc totum locum non e Mario Maximo emanasse est 8, 5: »Etiam de Pertinace et Galba paria sentiebat.« Marius Maximus, qui Pertinacis vitam descripsit, certe non tanta fuit stultitia, ut scriberet Marcum de Pertinace imperatore diiudicasse. Graeculum quendam haec omnia finxisse, ut doctrinae speciem praeberet mihi verisimile est et propter narrationis rationem et propter 18, 6 »denique«, nam et vit. Max. 23, 4 Herodiani δὲ vertitur in »denique«.

Quadratus. Cum cap. 7—9, 5 e Mario Maximo fluxisse demonstraverimus, restat ut demonstrem reliqua vitae Cassi capita aliis ex auctoribus hausta esse. Cap. 1 auctorem, quem sequitur, Vulcacius nominat: »cuius Quadratus in historiis meminit.« Quo ex auctore fluxerunt, quae de Cassi familia afferuntur haudquaquam ad fidem enarrata. Pater enim Avidi appellatur Avidius Severus, quod falsum fuisse satis constat. Dio enim fidelissimus horum temporum scriptor refert 71, 22 Avidi patrem fuisse rhetoricum quendam Heliodorum Cyrrho ex civitate, quod Marii Maximi quoque confirmatur verbis. Vit. Marci 26, 11 enim e Mario Maximo nomen filii Cassi affertur: »Heliodorus«. Ergo huius avo quoque nomen Heliodoro fuisse verisimile est, Quadratus ergo, cum de Avidi

1) Non enim credendum est Capitolinum e Vulcacio hausisse. Uterque enim Marium Maximum citat. vit. Marc. 25, 10. Cassi 6, 6—7, 9, 5. et quae Capitolinus e Mario Maximo attulit 25, 10—26, 10 omisit Vulcacius.

familia nihil sciret nomen quoddam finxit et Cassi patri tribuit, de Cassi autem iuventute e nomine Cassi tyrannicidae finxit, Avidium iam in prima iuventute Pio et Marco insidias parasse, quae falsatis epistulis (c. 1 et 2) affirmare studuit. Et cum capita 1—4 ita inter se cohaereant, ut uno ex auctore fluxisse videantur et compluria adsint indicia Gallicanum his in capitibus Graeco auctore nisum esse[1]), capita 1—4 tota Quadrato tribuo. Nec Quadratus quidquam ad fidem memoriae tradidit, sed Herodiani in modum rhetorice scripsit ei tantum rei studens ut se doctum literatumque hominem praeberet[2]). Et cum Marius Maximus memoriae tradidisset Cassium fortem strenuumque ducem fuisse (vit. Marci 21, 2. vit. Veri 7, 1.), Quadratus immodice exaggeravit virtutem et disciplinam severitatemque Cassi: cap. 4. centuriones qui »perparva manu« Sarmatas inscio Cassio adorti erant et cum ingenti praeda redierant tribus milibus hostium occisis (!) in crucem sustulit Cassius, et tantum terroris barbaris iniecit, »ut pacem annorum centum ab Antonino absente peterent.« Sarmatae, si pacem a Romanis petierunt certe eo non perducti sunt, quod Cassius centuriones quosdam interfecit. Accedit, quod Cassius sub Marco semper in Oriente remansit, sub Antonino autem contra Sarmatas esse pugnatum nemo memoriae tradat[3]). Cum

1) 3, 5 »si dialogistam occidisset« 3, 7 »per ordinem paraeneseos, hoc est praeceptionum per triduum disputavit«. Ubi falso Peter »hoc est praeceptionum« uncis inclusit Vulcacium enim lectoribus Graecum verbum quod in fontibus invenit explicat verbis »hoc est praeceptionum«. Participia quoque 3, 5 »addens«, »significans« 4, 5 »dicens« Graecum produnt fontem. Itemque 5, 3 »id est materiam«, Vulc. in fontibus invenit τὴν ὕλην. Quod quid sit nescivit, inepteque vertit »id est materiam«. Unci igitur Casauboni removendi.

2). Cf. 1, 4. 2, 6. 3, 5. 3, 7. 3, 8.

3) Wietersheim l. c. II 40 affert: vit. Ant. Pii 5, 4, contra Dacos esse pugnatum, itaque verisimile esse contra Sarmatas quoque

igitur pax centum annorum inter fabulas habenda sit, fabulosa ea quoque sunt, quae de Cassi severitate narrantur c. 4, 3 »primus id supplicii genus invenit ut stipitem grandem poneret pedum octoginta et centum (!) etc.«

Parthenianus. Quinto deinde capite Vulcacius ad Aemilium Parthenianum transit, qui eundem fere in modum historiam conscripsit, atque Quadratus. Qui, cum de Cassi iuventute nihil fere memoriae traditum invenerit epistulas quoque finxit [1]), et de severitate disciplinaque Cassi quaedam ementitus est, quae cum Quadrato congruunt cf. 4, 5 »multis desertoribus manus excidit« et 5, 2 »et manus multis amputavit.« Neque tamen Cassi severitatem adeo exaggeravit auxitque quam Quadratus.

6, 6 ad Marium Maximum transiit Vulcacius cum videret de Antiochensibus rebellantibus Marium Maximum quoque quaedam attulisse. Marium Maximum deinde excerpsit usque ad 9, 5 insertis tamen 8, 2—8, 6 fortasse ex Quadrato. Eadem enim inepta doctrina his in capitibus invenitur atque in prioribus capitibus (cf. cap. 3) et 8, 6 »denique« Graecum prodit auctorem.

Cap. 9, 6 usque ad finem vitae deinde epistolae senatusque consulta afferuntur, quae Müller e Mario Maximo hausta atque genuina esse iudicat. Cuius sententiam probare nequeo. Cum enim Czwalina certissimis argumentis ostenderit epistulas actaque senatus commenticia esse, iam hac sola de causa in dubium vocare debemus, an Marius Maximus has epistulas tradiderit. Sed multae quoque graves causae adsunt cur Mario Maximo epistulas abiudicare debeamus. Marius Maximus enim retulit Marcum eo tempore quo seditio orta sit non Romae sed in Germania fuisse vit.

dimicatum esse. Sed non intelligitur, cur Marius Maximus vit. Pii 5,4 de Sarmatarum pace tacuerit, et cur pace a Sarmatis petita Antoninus nomen Sarmatici non sibi sumserit.

1) Quas falsarias esse ostendit Czwalina l. c. 39—42.

Marci 22, 8, 25, 1—2, epistolis autem fingitur, Marcum in Italia de seditione certiorem factum esse 8, 7 [1]). Duae deinde epistolae ad Marium Maximum refutandum scriptae esse videntur 9, 9. 11, 1. Cum Marius Maximus tradiderit, Faustinam Cassium ad defectionem excitasse, his epistulis Faustina a tali suspicione purgatur. Nihilo secius Müller has epistulas a Mario Maximo esse traditas et Marium Maximum tanto Faustinae odio captum fuisse putat ut his epistulis haudquaquam fidem habuerit, Vulcacium autem his ex epistulis conclusisse, Marium Maximum historiam falsasse, cum scriberet Faustinam coniurationis consciam non fuisse. Nescio cur Marius Maximus adeo in Faustinam exarserit ut id quod Vulcacius videre posset, ipse negligeret et nescio cur hic scriptor historiae Aug., qui maxima cum credulitate perversissima quaeque ex auctoribus suis in historiam transtulit, hac una in re tanta sagacitate impletus fuerit ut auctorem suum corrigeret.

Epistulae ergo non a Mario Maximo sed ne ab uno quidem auctore fictae esse mihi videntur, atque quidem 9, 7—8 et 11—12 ab altero, ab altero 10, 1—10 et 11, 3—8. In prioribus enim Marcus Faustinam invitat ut in Albanum veniat, secumque consilium ineat, quae contra Cassium sint facienda, Faustinaque in responsione (c. 9) promittit se postero die venturam esse exhortaturque Marcum ut severus contra Avidium sit, in posteriore (cap. 10) Faustina item Marcum cohortatur ut severus contra Cassium sit, excusatque se quod in Formianum non venerit, Marcus autem respondet se Cassio superstite maxima clementia usurum fuisse, mortemque Cassi luget. Itaque de eadem re binae exstant epistolae neque est putandum eundem auctorem tradidisse et in Formianum et in Albanum Marcum Faustinamque convenire voluisse, neque in epistula c. 11 ullam fecisse

1) falso hic Peter »heri« in »Veri« immutavit.

mentionem cur Faustina, ut promiserit [1]), in Albanum non venerit, et cum supra demonstraverimus, Vulcacium epistulas, quae de iuventute Cassi fictae sint ex Quadrato et Partheniano hausisse has quoque epistulas duobus illis auctoribus tribuendas esse duco. Epistulas cap. 9 deinde tribuo Quadrato: 9, 7 enim: »Verus mihi verum scripsit« pertinent ad epistolam c. 1, 7 traditam. Eundem auctorem indicant ista: »Avidius avidus est,« et »Verus verum scripsit« [2]).

De reliquis epistulis actisque, quae Czwalina attulit recoquere nolo. Quae cum omnia falsaria sint, e Mario Maximo non fluxerunt, nescio tamen quo ex auctore.

§. 3.

Vita Commodi.

Commodi vita in codicibus tribuitur Aelio Lampridio. Nescio, num recte. In vita enim Marci 19, 5 Capitolinus promittit se Commodi vitam scripturum et scriptor vitae Commodi dicit 1, 1 se in Marci vita de Commodi parentibus satis disputasse. Quae quidem sola causa me non eo perducere potest ut Commodi vitam a Capitolino scriptam esse ducam, nam saepius (p. 17 ad 1) vidimus scriptores talia ex auctoribus suis transtulisse [3]), sed, graviores causae sunt, cur Commodi vitam a Capitolino scriptam esse putem. Vidimus enim in vitis Maximinorum Gordianorum, Maximi et Balbini. Marci, Veri Capitolinum hunc in modum vitas compilasse

1) Id quoque adnotandum quod Faustina promittit, se cras venturam esse.

2) Neque mirandum est cur e Graeco auctore talia emanarint, qui non nesciret, lectores omnes linguae Latinae peritos intelligere quo spectarent: *Οὐῆρος ἀληθὲς ἔγραψεν.* Participium 9, 8 »nil timens« Graece dictum. vit. Niqri quoque 12, 5—6 epigramma Graecum versum est, de »Nigro« quasdam continens facetias.

3) De vita Com. 1, 1 pro certo duco etiam a Mario Maximo esse scriptum: »in vita Marci satis est disputatum.«

ut brevia sibi fecerit excerpta, quas et in epitomas aliis ex auctoribus factas indiderit et quibusdam in capitibus contulerit. Talia autem excerpta apud nullum alium historiae Augustae scriptorem invenimus neque apud Spartianum (in vitis Hadriani, Veri, Pii aliisque) neque apud Lampridium in vit. Heliogabali, Alexandri. Et cum talia excerpta non tot quidem quot in vita Marci, compluria tamen in Commodi vita inveniamus, Capitolinum eam scripsisse arbitror.

Zürcher [1]) putat Capitolinum (vel Lampridium) praeter Marium Maximum in Commodi vita enarranda Herodiano quoque nisum esse, et nonnulla affert Herodiani itemque Dionis verba, quae cum Lampridii verbis congruunt. Cuius sententiam recte refutavit Müller (p. 61—70). Sed Müller alium commisit errorem qui vitam Commodi totam e Mario Maximo esse haustam contendit paucis tantum exceptis quae diiudicare non possimus. Sed Capitolinum, qui praeter Marium Maximum [2]) nullum citat auctorem, compluribus tamen usum esse, multis rebus cognosci potest. Maximus.

Capitolinum in vita Commodi Marium Maximum potissimum epitomasse iam idcirco verisimile est, quod scriptores historiae Augustae Mario Maximo quam maximam habent fidem. Narrantur in vita 1) eruditio et mores pueri c. 1—1, 9; 2) munera honores mores adolescentis c. 1, 10—2,3; 3) primordia regni c. 3; 4) coniuratio Lucillae 4, 1—4, 4; 5) crudelitas Commodi 4, 5—5, 15; 6) respublica per praefectos administrata, caedesque praetorum, consulum, consularium c. 6—7; 7) honores Commodi c. 8; 8) insania furorque imperatoris. Quam narrationem totam e Mario Maximo fluxisse duco. Iam contendi prima vitae verba e Mario Maximo esse hausta et cum reliqua eundem in modum disposita atque in Marci vita sint arteque inter se cohaereant, Mario Maximo tribuo 1—9. Compluria deinde in vita Commodi cum iis con-

1) Apud Büdinger I. p. 222—224.

2) 13, 2. 15, 5. 18, 2.

sentiunt quae in Marci vita e Mario Maximo fluxisse demonstravimus cf. vit. Marci 22, 12 et Com. 2, 2 Marc. 28, 2 Com. 2, 5. Recte denique Müller ad vit. Com. 4, 5 affert vit. Alex. Sev. 21, 4. Capitolinum in hanc epitomen excerpta indidisse non video.

Cordus. Altero deinde auctore mihi nisus esse videtur Capitolinus cap. 10—13, 4. Cap. 10 incipit: »Etiam puer et gulosus et impudicus fuit adulescens etc.« Quid? De pueritia atque adulescentia Commodi iam cap. 1 et 2 dissertum est, quibus de causis Capitolinus de pueritia adolescentiaque Commodi denuo quaedam affert? Nonne credendum est iam alterum epitomari scriptorem? Quae deinde sequuntur 10, 2—11, 2 tam perversa atque incredibilia sunt, ut Marium Maximum has narratiunculas memoriae tradidisse non putem. Prioribus capitibus e Mario Maximo nomina semper eorum afferuntur, quos Commodus occidit, his in capitibus nullum fere legimus nomen. Cum Marium Maximum semper ad veritatem scripsisse neque ullo loco quidquam ementitum esse demonstraverimus, auctor, quem his in capitibus sequitur Capitolinus tam immodice inepteque mentitus est ut nesciam, quid magis admirer utrum insolentiam auctoris qui talia fingere ausus sit an credulitatem lectorum, qui haec legerint atque pro veris duxerint cf. 10, 4 (!) 11, 1 et 2. Cum iam his omnibus de causis verisimile non sit, Mario Maximo haec capita deberi certissima argumenta afferam cur haec capita Mario Maximo abiudicanda sint: 11, 3 Iuliani mors enarratur, quae e Mario Maximo iam 4, 8 relata est. Gravius argumentum est 11, 18. Affert Capitolinus nomina mensibus a Commodo data, et ea quidem alium in modum atque Dio 72, 15 [1]).

Nom. mens.		Dio.		Capitolinus.
Ian.	=	Amazonius		
Febr.	=	Invictus		

1) Cf. Reimar. ad hunc locum.

Nom. mens.		Dio.		Capitolinus.
Mart.	=	Felix		
April.	=	Pius		
Mai.	=	Lucius		
Iun.	=	Aelius		
Iul.	=	Aurelius		
Aug.	=	Commodus	=	Commodus
Sept.	=	Augustus	=	Herculeus [1])
Oct.	=	Herculeus	=	Invictus
Nov.	=	Romanus	=	Exsuperatorius
Dez.	=	Exsuperatorius	=	Amazonius.

Auctor ergo, quem sequitur Capitolinus c. 10 et 11 de mensium nominibus erravit. Marius Maximus autem haud nescivit nomina mensibus a Commodo data. Quod apparet ex cap. 2 et c. 11, 13—12, 9. c. 11, 13 enim recte October Herculeus nominatur, atque enumerantur, quae sub Commodo facta sunt immutatis mensium nominibus. Quae optime cum cap. 2, quod e Mario Maximo emanavit, consentiunt. Eundem in modum res gestae Commodi enarrantur atque cap. 2 et recte nominantur October Herculeus, December Exsuperatorius. 11. 13—12, 9 ergo Capitolinus e Mario Maximo attulit: cum enim videret auctorem suum nomina immutata mensium afferre, recordatus est, Marium Maximum quoque haec nomina inusitata addidisse cum de Commodi iuventute dissereret, et eadem, quae iam cap. 2 narraverat, denuo attulit immutatis mensium nominibus [2]). Et ne quis credat 11, 13—12, 9 non e Mario Maximo ipso sed e Marii Maximi fontibus i. e. ex urbis senatusve actis fluxisse, infra demonstrabitur cap. 2 et 12 non solum eosdem continere numeros sed eosdem quoque errores. Et

1) Scribendum pro »Herculem« Herculeum.

2) Cap. 2 et 2 comparatis cognoscimus Capitolinum haudquaquam omnes annorum mensiumque numeros, quos apud Marium Maximum inveniret epitomae suae indidisse. Capite 12 enim multo uberius annorum numeri exhibentur quam cap. 2.

cum Mario Maximo 12, 13—13, 9 tribuamus optime inter se consentiunt 12, 12 et 13, 10: »pugnasse dicitur septingenties tricies quinquies« [1]) »inter haec refertur in litteras pugnasse illum sub patre trecenties sexagies quinquies.« Dimidium ergo pugnarum Commodo tribuitur nondum ad imperium provecto, quod nemo pro vero ducet, cum adulescens undeviginti annorum Commodus ad imperium veniret. Sed iam quaestio est instituenda quonam ex auctore fluxerint 10,—13. Atque mihi quidem videntur e Cordo. Quae enim legimus 11, 4—5 produnt Cordum: „genere leguminum coctorum raro vacavit.« »lavabat per diem septies etc.« Deinde 10, 1 »Etiam puer gulosus fuit« Cordum significant. Cordum enim hoc verbum saepius adhibuisse apparet ex vit. Alb. 11, 2. Et cum sciamus Cordum immodice omnia exaggerasse conferendum est 11, 12 et 13, 8: »virium tantarum fuit ut elephantum conto transfigeret et singulis ictibus multa milia ferarum ingentium conficeret.« 13, 2 de versibus dicitur qui de Commodo facti sunt additurque: »de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur.« Sed non credendum est, hunc locum e Mario Maximo fluxisse sed et 13, 1 et 13, 4 ostendunt totum locum Cordo esse tribuendum et Cordum Marium Maximum citasse [2]). Cordus ergo et post Marium Maximum scripsit et Marium Maximum legit. Atque saepius videbimus Cordum ad Marium Maximum refutandum quaedam scripsisse.

Maximus. Reliqua vitae Commodi capita inde ab 13, 4 usque ad finem potissimum e Mario Maximo hausta esse puto, quamquam excerpta quoque addita sunt. Acclamationes senatus post mortem Commodi se e Mario Maximo hausisse profitetur Capitolinus (18, 1) itaque quae sequuntur quoque (c. 20)

1) Quocum conferendum est vit. Marci 19, 5 »qui mille prope pugnas gladiatorias exhibuit ut in vita eius docebitur« ex uno eodemque auctore ergo fluxerunt vit. Marci 19 et Com. 10—13.

2) Cf. quae p. 5 de vit. Gord. 13, 3—4 et Herodiano adnotavimus.

Marium Maximum ex actis senatus retulisse verisimile est. Atque cap. 16 et 17 quoque Mario Maximo tribuo. Narrantur enim 1) prodigia atque omnia mortis c. 16, 2) mors ipsa 17, 1—2, 3) forma figuraque Commodi qualis fuerit 17, 3, 4) opera quae reliquit 17, 5—12, 5) deinde quae senatus de Commodo mortuo constituit c. 18—20. Unum tantum excerptum Capitolinus Marii Maximi epitomae indidit 16, 8—9. Cum cap. 16 de ominibus sit disputatum, valde offendit quod 16, 8—9 de congiario quaedam adduntur. Accedit quod cap. 17 verbis incipiat: »His incitati,« quod inepte dictum est nisi ad omina mortis c. 16, 1—7 enarrata refertur. Capitolinus ergo quamquam excerptum 16, 8—9 ominibus addidisset, perverse tamen e Mario Maximo »His incitati« transscripsit (cf. v. Marc. 18, 8).

Restat ut de 13, 5—15 disseram, quae maximam in partem diversis ex auctoribus excerpta esse mihi videntur pauca tantum Mario Maximo tribuo. Enim quomodo Suetonius bella non »annalium« vel »historiarum« in modum per annos quibus quaeque gesta erant, enarravit, sed quaecunque bella sub singulis imperatoribus gesta erant [1]) singula in capita contulit, ita Marium Maximum quoque duco bella unum in caput contulisse (cf. vit. Marc. c. 8). Cap. 1—9 enim leviter tantum perstrinxit (c. 6) Capitolinus bella, et, cum 13, 5—14, 3 quaecunque bella sub Commodo gesta sunt [2]) enarrentur, hunc locum e Mario Maximo fluxisse iudico. Reliqua autem 14, 4—15 brevia tantum excerpta mihi videntur, qualia saepius iam apud Capitolinum invenimus. Quorum primum constituo 14, 4—7 quod e Mario Maximo haustum esse non potest. Uberius enim Capitolinus Marium Maximum secutus cap. 6 exposuit, quae enarrat concise hoc loco atque ea qui- Excerpta.

1) Cf. vit. Cal. 43 ss. Claud. 17. Domit. 6.

2) Zürcher l. c. p. 241 contendit Capitolinum (vel Lampridium) belli desertorum non mentionem facere nisi 16, 1. Quod quidem falso, omisit enim 14, 2 »et eos, qui omnia vastabant postea Commodus occidit atque proscripsit.«

dem cum Marii Maximi verbis repugnantia [1]). Alterum deinde excerptum est 14, 8—15, 2. Quo in excerpto enarrantur et quae iam e Mario Maximo allata sunt 6, 7 et quae cum Mario Maximo pugnant [2]). Tertium deinde 15, 3 iam Mario Maximo auctore enarravit Capitolinus c. 8 et 9. Quartum deinde excerptum e Mario Maximo haustum est 15, 4. Neque mirari debemus Capitolinum ex eodem scriptore, quem epitomarit excerptum quoque afferre. Idem enim invenimus in vita Maximinorum. Capitolinus cap. 10 et 11 Herodiani VII c. 1—2 epitomavit deinde ad Cordum transiit c. 12, attamen ex Herodiano VII 2, 8 addidit c. 12, 10—11. Quintum deinde excerptum est 15, 5 quod Mario Maximo abiudicandum est propter 8, 6 et 8, 9. Sextum et septimum denique excerptum verbis »sane cum« et »appellatus est sane,« significatur [3]) Marium Maximum artes gladiatorias Commodi adeo exaggerasse, ut scriberet: Commodum sescenties vicies Palum primum secutorum (i. e. sexta vel septima quaque die) appellatum esse, incredibile est.

Iam p. 39 adnotavimus, Marium Maximum quendam errorem commisisse cap. 2 et 12. Dicit enim Marcum cum Commodo imperatorem esse appellatum V kal. Dec. 176 coss. Pollione et Apro II [4]). Sed Marcus imp. VIII erat annis 175, 176, 177 [5]) neque imperator est appellatus 176, quo

---

1) Cf. 14, 6 »vendidit provincias cum ii per quos venderet partem acciperent, partem vero Commodus« et 14, 8 »agebantur omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur« et 6, 10 »omnia Cleander pecunia venditabat.«

2) Omittitur enim 17, 1 Eclectum coniurationi contra Commodum factae interfuisse.

3) »Sane« in vita Commodi invenitur 6, 4. 10, 3. 17, 9. 15, 6. 15, 8. »Praeterea« semel indicat Capitolinum ad alium transire auctorem 15. 4. bis in Marii Maximi epitoma invenitur 4, 9. 8. 6.

4) Orelli-Henzen 3284. Clinton ad hunc annum.

5) Eckhel Doctrina num. vet. VII 62, 63. Cohen II p. 532—536. 495 498. Orelli-Henzen 861.

anno ineunte in Oriente versabatur [1]). Fortasse V Cal. Dec. Marcus imperator est appellatus sed anno 177 non 176. Apud Cohen enim anni 177 novem exstant nummi quibus Marcus appellatur imperator VIII, duo tantum, quibus imp. IX. Qua ex re concludo Marcum sub finem anni 177 imperatorem esse appellatum, nec de Cassio triumphasse sed de Germanis. vit. Marc. 27, 10 enim dicitur Marcum ante mortem per triennium cum Germanis pugnasse id est per annos 177, 178, 179 [2]), vit. Comm. autem 12, 7 Commodum iterum in Germaniam profectum esse Orfito et Rufo consulibus (ann. 178). Anno 177 ergo imperatores primo in Germaniam profecti sunt, deinde Romam reversi triumpharunt sub finem anni 177, ann. 178 deinde iterum in Germaniam profecti sunt [3]). Erravit ergo in eo Marius Maximus quod dicit. Commodum iam 175 in Germaniam esse profectum et ann. 176 triumphasse, [nam ann. 175 et 176 Marcus in Oriente et Alexandriae et Athenis moratus est] parumque diligenter consulum nomina exhibuit. Nec ut iam supra demonstravimus p. 24 bellis enarrandis multum operae dedit, quorum paucis tantum verbis mentionem fecit. sed quae Romae gesta sunt accuratius Dione et summa cum diligentia retulit [4]) urbis senatusque acta inspexit.

§. 4.

Vita Pertinacis.

Vitam Pertinacis Brocks (p. 30—39) non a Capitolino sed a Lampridio scriptam esse contendit. Equidem hanc

---

1) Noël des Vergers l. c. p. 122, 123.

2) 16 Cal. April. 180 mortuus est Marcus Dio 71, 33.

3) Cf. Wietersheim II 16.

4) Dionem et Capitolinum comparavit Zuercher apud Büdinger I 221—264. Herodianus mendacissimus scriptor haudquaquam adferendus est cf. quae Dändliker de eo disseruit apud Büdinger III 203—320. Sievers Philologus XXVI an. 1862.

quoque vitam Capitolino vindico, cum eundem in modum compilata sit atque reliquae Capitolini vitae.

Müller [1]) totam hanc vitam Marii Maximi epitomen esse ducit. Iam omnibus in vitis quas tractavimus vidimus Capitolinum praeter Marium Maximum Cordum quoque epitomasse neque hac in vita Capitolinum ab illa scribendi ratione aberrasse pro certo duco.

Maximus. Capita priora vitae Pertinacis eundem in modum disposita sunt atque Marci et Commodi: 1) familia 1, 1—2, 2) educatio 1, 3—4, 3) munera 1, 5—4, 4, 4) primordia regni 4, 5—6, 6 [2]), 5) administratio rei publicae 6, 7—9, 10, 6) insidiae imperatori paratae moresque Pertinacis c. 10—11. Mario Maximo hic nisum esse Capitolinum iam crederemus, etiamsi nullum huius rei testimonium haberemus. Sed Capitolinus ostendit se Marium Maximum secutum esse c. 2: »exstat oratio apud Marium Maximum laudes eius continens et omnia vel quae fecit vel quae perpessus est, quam longum fuit connectere [3]).«

Excerpta. Capitolinus ergo Marium Maximum epitomavit sed excerpta aliis ex auctoribus inseruit quorum primum esse puto 8, 2—8, 7. Narrat enim Capitolinus 7, 8 Pertinacem auctionem rerum Commodi habuisse, deinde de pueris, con-

1) Cap. 70—76 et p. 137—145.

2) Quae tam accurate diligenterque enarrantur ut Marius Maximus senatui interfuisse videatur, cf. 4, 11: »statim, nocte« »imperatorem appellaverunt.« 5, 1 »Falco dicit etc.« 5, 4 »eadem die, — is horis quibus ille in Capitolio vota solvebat,« 6, 2 »ea die etc.,« 6, 3 »iam postero Calendarum die.« Et institutiones quoque Pertinacis accurate relatae sunt cf. 7, 2—5 et Corpus iuris. Inst. t. II. tit. 17 §. 8. Eadem oratione expressit: »Non admissurum se hereditatem eius, qui litis causa Principem heredem reliquerit, neque tabulas non legitime factas, in quibus ipse ob eam causam institutus erat, probaturum etc.«

3) Quae oratio fortasse laudatio funebris est, quam Severus in Pertinacis honorem habuit Dio 77, 5. vit. Pert 15, 2. vit. Sev. 7, 8.

cubinis, scurris, libertis Commodi venditis disserit et 8, 8 quoque de libertis quaedam enarrat. Valde igitur offendit, Capitolinum 8, 2—7 ad auctionem rerum Commodi reverti atque exponere, quae vestes, tunicae, chlamydes, cuculi, togae, arma, vasa, vehicula, aliaque eius modi vendita sint. Et cum iam in Marci vita 17, 4 viderimus tali in auctione enarranda Cordum oleum operamque perdidisse (cf. vit. Gord. 21, 4) non temere dictum est, si e Cordo hunc locum emanasse putamus. Narrationem auctionis incipit Capitolinus verbis: »auctio sane [1])« revertiturque ad Marium Maximum verbis: »reddidit praeterea.«

Compluria excerpta in Marii Maximi epitomen mihi indita esse videntur c. 9, 4—8. 9, 4 cum eo pugnat quod Marius Maximus de Pertinacis bonis retulit 3, 4, ubi negat Marius Maximus Pertinacem contra ius fasque alienos agros sibi vindicasse. Alterum excerptum 9, 5 verbis incipit: »denique ex versu Luciliano.« 9, 6 deinde tertium excerptum est: »multi autem — rettulere,« iam scimus: »multos« unum tantum significare auctorem. Quartum 9, 7: »denique subito divus est factus,« e Mario Maximo haustum esse non potest, qui 3, 4 enarraverit, quomodo Pertinax dives factus sit (cf. quoque 9, 5). Utrum 9, 8 verbis: »omnibus sane« an 9, 9 ad Marium Maximum revertatur Capitolinus diiudicare nolo. Capite 10, 6 et 7: »multi — dixerint« et »multi dixerunt« e Mario Maximo transscripta esse duco (cf. vit. Marci 24, 3 Cassi 7, 2). Utrum 11, 13 »multi sane dicunt« e Mario Maximo fluxerint an alio quodam ex auctore diiudicare nolo.

Cap. 12 exponit Capitolinus, quali fuerit forma figuraque corporis Pertinax, quantum ederit, quibus epulis amicos exceperit, quot offulas amicis miserit, quibus cum amicis Cordus.

1) In Pertinacis vita saepius utitur Capitolinus verbo »sane« alio auctore non adhibito 3, 5. 5, 5. 6, 3. 6, 6. 7, 2. Excerpta indicat 8, 2. 9, 8. 12, 8. Dubium mihi est 11, 13.

cenaverit, et compluria talia. Müller, qui haec e Mario Maximo fluxisse ducit (p. 144, 145), contendit, haec haudquaquam a Dione discrepare [1]), Dio enim dicit, Pertinacem amicos senatoresque σωφρόνως epulis excepisse, sed ditissimos quosque Pertinacem risisse et Müller putat inter hos ditissimos fuisse Marium Maximum cum scriberet Pertinacem re illiberalem ac prope sordidum fuisse. Sed nemo est qui neget vere avari hominis esse quae de imperatore enarrantur 12, 2—7. Marius Maximus longe alio modo de Pertinace retulit et optime cum Dione consentit 8, 9: »convivium imperatorium ex immenso ad certum revocavit modum« cf. 9, 11. Et cum quae cap. 12 enarrantur cum iis congruant, quae Cordum in lucem edidisse scimus, Capitolinum hic quoque ut in vita Marci, Commodi Cordum epitomasse duco.

Excerpta. Post Marii Maximi Cordique epitomen Capitolinum excerpta affere quae sibi fecit, antequam ad historiam scribendam aggrederetur, exspectare debemus. Nec spes nos fallit. Quae enim narrantur ab 12, 8 usque ad 13, 9 singula esse excerpta pro certissimo habeo. Primum quidem excerptum est 12, 8: »Sane — dicuntur« quae haudquaquam ad 12, 1—7 attinent. Fortasse 13, 1—4 uno ex auctore fluxerunt: Pertinacem noluisse liberos suos in palatio erudiri Dio quoque refert 73. 7. Sed cum Capitolinus dicat filios habuisse Pertinacem apud Dionem est unum tantum filium fuisse Pertinaci. 13, 1—4 e Mario Maximo fluxisse compluribus de causis nego. Quam benigne et comiter Pertinax erga senatum se gesserit, attulit Marius Maximus 6, 7 sed longe aliis verbis: »suscipere se etiam imperium a senatu dixit, quod iam sponte inierat,« »quod iam sponte inierat« ironice dictum est, neque ulla fit mentio Pertinacem se imperio ab-

1) Cf. Dio 73, 3. 4 *εἱστία τε ἡμᾶς σωφρόνως καὶ ὁπότε μὴ τοῦτο ποιοίη, διέπεμπεν ἄλλοις ἄλλα καὶ τὰ εὐτελέστατα* = »misit offulas binas aut omasi partem!«

dicare voluisse. Marium Maximum opinionem eorum (13, 4), qui Pertinacem avarum atque lucri avidissimum putarent refutasse, supra demonstravimus (p. 45. 46) [1]). Itaque 14, 1—4 e Mario Maximo hausta non sunt. Alterum deinde incipit excerptum 13, 5: »nec multum tamen amatus est.« »Tamen« quid sibi velit intelligi non potest. Nam 13, 4 expositum est, Pertinacem avarissimum avidissimumque fuisse, pro »tamen« exspectamus ergo »igitur.« Sed Capitolinus negligenter »tamen« ex auctore suo transtulit. Hunc auctorem Marium Maximum non fuisse cognoscitur e 14, 6 quod e Mario Maximo fluxisse duco. Singula tantum excerpta cap. 13 collata esse optime cognoscitur e 13, 7. Cum 13, 4 dictum esset: Pertinacem habuisse filios 13, 7 scribit Capitolinus Pertinacem filium et filiam reliquisse. 13, 9 idem fere refertur quod Marius Maximus enarravit 8, 8.

Cap. 14 et 15 deinde Capitolinus ad Marium Maximum revertitur. Cum signa mortis leviter tantum perstricta essent 11, 2 accuratius exponuntur 14, 1—5. Quae e Mario Maximo fluxisse verisimile est et propter 14, 3 »ut supra dictum est« (cf. 11, 2) et propter 14, 4—5 quae cum iis consentiunt quae Spartianus e Mario Maximo in Iuliani vita affert c. 2, 3 [2]). Deinde afferuntur quaedam de funeribus honoribusque Pertinacis 14, 6—15, 3 et dies quo natus est et quando diem supremum obiit 15, 6—8, (ubi Marius Maximus citatur). Marius Maximus uno die a Dione 73, 10 discrepat cum scriberet Pertinacem vixisse annos LXVI menses VII dies XXVI [3]). Utri maior fides habenda sit nescio.

1) Cf. quoque 7, 2—5 et Institutiones Iust. Liber II. tit. 17. §. 7—8.

2) In vita Commodi quoque invenimus Marium Maximum summa cum diligentia omina mortis enarrasse c. 16.

3) Nam corruptum esse, quod in codicibus legimus LX mihi pro certo est. Recte enim dicitur Pertinacem natum esse Vero et

Fides. Iam supra (p. 44. adn. 2) demonstravimus, quam accurate Pertinacis vita a Mario Maximo pertractata sit, ita ut ne unum quidem errorem commissum esse videam. Multo uberius Dione edocetur et quibus quaeque diebus quin etiam horis gesta sint, quomodo cum senatu Pertinax egerit, quales leges constitutionesque ediderit, quomodo interfectus sit etc. Müller, qui p. 138 ss. de Marii Maximi fide in Pertinacis vita enarranda disseruit, proficiscitur ab 13, 1: »Imperium et omnia imperialia sic horruit etc.« quod Marii Maximi non esse ostendimus. Sed epistulam quoque Pertinacis Marius Maximus tradidit 15, 8 quae »horruisse illum imperium docet«. Müller igitur existimat p. 139. »Pertinax hatte eine geheime Abneigung vor der Alleinherrschaft, die gebieterische Stellung eines Imperators war seiner mehr republicanischen Gesinnung nicht angenehm.« Sed haudquaquam est credendum cum iam per duo saecula imperatores Romam rexissent, ullum Romanum de senatus potestate restituenda cogitasse. Et Pertinax, si tanto rei publicae amore repletus neque imperii cupidus fuit, cur adeo enisus est, ut imperator fieret? Itaque aliud indicavit epistula illa atque Müller voluit, quod dictu non dificile est. Pertinax enim imperator factus est summo in rerum discrimine: Praetorianos, qui irascebantur, quod Commodus erat occisus, frustra donativis placare studuit. Nam dimidium tantum donativi, quod promiserat, iis dare potuit (vit. P. 15, 7.) atque cum Commodus

---

Ambibulo coss, (sic pro Bibulo scribendum cf. Orelli Henren 6006). Nescio igitur cur editores Casauboni emendationem qui LXVI voluit, improbarunt. Dies imperii numeravit Marius Maximus a sext. Non. Ian. Commodus quidem Cal. Ianuar. interfectus est (vit. Com. 16, 2. Pert. 4, 3) sed postero demum die Pertinax imperator appellatus est. Itaque non inter se repugnant, quod Pertinax qui Cal. Aug. natus est LXVI an. VII mens. XXVI dies vixisse, II menses XXV dies regnasse dicitur.

vicena milia viritim dedisset (Dio 73, 8) duodena tantum milia promisit Pertinax (Dio 73, 1). Quibus de causis milites murmurabant atque res novas moliebantur ita ut Lascivium contra Pertinacem imperatorem appellare vellent (vit. Pert. 6). Accedebat, quod Falco Pertinaci insidias parabat, ita ut Pertinax haudquaquam ignarus esse posset, qualia pericula obiisset faciliusque esse imperium adpetere quam obtinere. Cum talia meditaretur certe non bono animo fuit atque fortasse epistulam illam conscripsit, qua quanto in rerum discrimine esset exponebat.

§. 5.

Vita Iuliani.

Quae vita a Spartiano scripta non eundem in modum compilata est atque vitae a Capitolino scriptae: Spartianus enim ne eam quidem adhibuit operam quam Capitolinus ut excerpta sibi faceret aliis ex auctoribus, antequam ad historiam scribendam aggrederetur, — nullo enim loco in vitas a Spartiano scriptas excerpta video esse inserta, — sed epitomavit tantum auctores suos atque hoc quidem maiore cum cura Capitolino. Capitolinus enim ex duobus vel tribus auctoribus quaedam de eadem re etiamsi inter se repugnarent attulit, et Marii Maximi vitas totas epitomavit, Spartianus, cum ad alterum descenderet auctorem, omisit, quae Marius Maximus de eadem re retulit, ita ut lectori iam difficilius sit diiudicare quid in vitis a Spartiano scriptis e Mario Maximo fluxerit, quid aliis ex auctoribus. Quare totam quaestionem non a Spartiano sed a Capitolino instituti ut antequam ad vitas a Spartiano scriptas aggrederer iam quasi explanatum haberem, quem in modum Marius Maximus et Iunius Cordus historiam scripserint.

In vita Iuliani nullo loco Spartianus citat auctorem suum. Müller igitur totam Marii Maximi epitomen esse ducit (p. 75—76) Vita eundem in modum disposita est atque omnes Maximus.

a Mario Maximo tractatae: Iuliani: 1) familia 1, 1—2, 2) educatio 1, 3. 3) munera publica 1, 3—2, 4. 4) primordia regni 2, 1—4, 10. 5) bellum cum Severo gestum et mors Iuliani 5—8. 6) mores aetasque Iuliani c. 9. Quae omnia maximam in partem e Mario Maximo fluxisse mihi non dubium est. Iam supra monui, id quod 2, 3 afferatur in Pertinacis quoque vita a Capitolino (14, 4) memoriae tradi. Cum dispositio vitae ratioque scribendi eadem sit, quam reliquis in vitis Marium Maximum secutum esse vidimus, Marium Maximum hac in vita potissimum epitomatum esse verisimile est. Duo tamen capita sunt, quae e Mario Ma-
Cordus. ximo fluxisse nullo modo credi potest. Quorum primum est 3, 8 — 4, 10. Reliquis enim capitibus demonstratur Iulianum ignavissimum atque stultissimum hominem fuisse, qui magno in discrimine rerum puerilem in modum se gesserit atque imperator tantum factus sit ingentibus praemiis militibus promissis cf. 2, 2 »Bithyniam non ea fama rexit, qua ceteras,« 2, 6 »scripsit in tabulis se Commodi memoriam restituturum,« 3, 7: »erat in odio populi ob hoc quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi Pertinacis auctoritate reparandam, habebaturque ita, quasi Iuliani consilio esset interemptus,« 5, 8 »missus centurio notus senatoriis caedibus,« 6, 1 »Iulianus, quem cottidie populus et magis oderat et ridebat,« 6, 2 »ingratus tanto beneficio iussit eum occidi,« 6, 5 »inanem rem parans,« cf. 6, 6 et 6, 7. 7, 9 »fuit in Iuliano haec amentia,« 8, 8 »occisus est fidem Caesaris implorans,« quibus e locis apparet quantum Marius Maximus Iulianum despexerit. Cap. 3, 8—4, 10 autem Iulianus ab omnibus defenditur opprobriis, 3, 8; »et iam hi primum qui Iulianum odisse coeperant disseminarunt, prima statim die Pertinacis cena despecta luxuriosum parasse convivium ostreis et altitibus et piscibus adornatum.« Atque inter hos »qui Iulianum odisse coeperant« et Dio est habendus (73, 13) et cum omnibus in rebus de Pertinace enarratis optime Dio cum Mario Maximo consentiat, verisimillimum est, Marium Maximum quoque »Iulianum odisse coepisse.« Quaecunque enim sequuntur scripta sunt ad Iulianum defendendum et laudibus efferendum cf. 3, 10. 4, 1 »unumquemque ut erat aetas vel patrem vel filium vel parentem adfatus blandissime est, 4, 4 »lapides in eum iecerunt, cum Iulianus manu eos semper placare cuperet, ingressus autem curiam placide et prudenter verba fecit.« 4, 5 »egit gratias,« »patris patriae quoque nomen recepit [1]) argenteam statuam respuit,« 4, 8 »haec omnia Iulianus placide tulit totoque imperii sui tempore mitissimus fuit« 4, 9 »multa ad conciliandum favorem populi restituit«, 4, 10 »constitit autem, propter metum militum de honore Pertinacis tacitum esse.« Optime auctor, quem sequitur Spartianus ex eo cognoscitur, quod 4, 6 dicat Iulianum quidem populum ferro et vulneribus summovisse, addat tamen »et pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat ipse Iulianus, ut fidem faceret.« Ita Iulianus populum pollicitationibus potissimum summovisse videtur, cum Dio referat 73, 13 Iulianum primo quidem pecuniam promisisse, quae cum minus proficeret, milites iussisse adstantes interficere. Itaque cum 3, 8—4, 10 vehementer cum ceteris capitibus repugnent, ea Mario Maximo tribuere non possumus. Nec difficile est dictu, quonam ex auctore illa fluxerint, si 3, 8—9 comparamus cum vit. Pertin. 12, 2—3 et iis, quae de Cordo disserui. Cordus, cum in Pertinacis vita contra Marium Maximum Pertinacem avarissimum et avidissimum hominem fuisse contenderit, in Iuliani vita, ut novi quidquam afferet, Iulianum contra Marium Maximum defendit, et quod in Pertinacis vita summae esse avaritiae dixit, eadem fere iu Iuliani vita attulit ut demonstraret, quanta morum simplicitate Iulianus fuisset.

Alterum caput vitae Iuliani quod non e Mario Maximo

1) Quod falsum est. Nullo enim in nummo vel lapide Iulianus pater patriae cognominatur.

sed e Cordo fluxisse duco est c. 9. Quo in capite eundem in modum defenditur et extollitur Iulianus atque c. 4, 9, 1 »cum in imperio fuisset humillimus. fuit autem contra humanissimus ad convivia, benignissimus ad suscriptiones, moderatissimus ad libertatem [1].« Iunium Cordum haec scripsisse produnt et 9, 1, quod gulosus fuisset, quod verbum apud Cordum invenimus vit. Com. 10, 1 vit. Alb. 11, 2 et adiectiva superlativa cf. vit. Albini 7, 3—5. Itaque cum cap. 9 e Cordo fluxerit, non id mirari debemus quod numerus annorum, per quos Iulianus vixisse dicitur, falso affertur (cf. 9, 3 et Dio 73, 17) sed id, quod recte Iulianus »mensibus duobus diebus quinque vixisse« dicitur (Dio 73, 17).

Müller (p. 146—150) qui caput 4 quoque e Mario Maximo emanasse putat, Dionem in Iuliani odium multa exaggerasse atque Mario Maximo maiorem esse fidem habendam quam Dioni ducit. Equidem non video Marium Maximum a Dione aberrasse. Uberius tantum enarravit Dione Marius Maximus, quae Romae gesta sint, qualia senatus consulta fuerint, qui homines contra Severum Nigrumque missi sint, quae Iulianus ad urbem defendendam paraverit, quanta eius amentia fuerit. Quae omnia ea cum cura atque diligentia enarravit, ut quod supra demonstravimus, Maximum tum Romae fuisse fere certum esse videatur. Müller contendit Maximum nihil afferre de auctione quam milites in castris habuerint. Quam quidem Marius Maximus non in enarravit, ut ab Herodiano [2]) memoriae tradita est, sed a Dionis narratione haudquaquam multum aberravit. Et Dio 73, 11 et Marius Maximus vit. Iul. 2 retulerunt, eodem tempore Sulpicianum et Iulianum apud milites de imperio impetrando nundinatos esse [3]), Iulianum ingentia pollicitum

1) Cf. quae de vit. Marci 29 adnotavimus p. 21.

2) Quem immodice ementitum esse, iam satis constare puto.

3) Müller quidem dicit in vita Iul. non esse dictum, Sulpicianum quoque de imperio nundinatum esse. Quod nisi forte epitomator omisit, tamen evidens est, Sulpicianum quoque pecuniam promisisse, nemo enim isto tempore imperator factus est nisi praetorianis militibusque donativum promisisset.

esse, Iuliano ob id praecipue imperium esse delatum, quod praetoriani timerent, ne a Sulpiciano ob Commodi necem punirentur. Itaque haudquaquam puto in Iuliani odium mentitum esse Dionem cui in historia huius temporis enarranda quam maxima fides est habenda.

§. 6.

Vita Severi.

Vita Severi a Spartiano scripta eundem in modum compilata est atque vita Pertinacis. Nullo loco video excerpta inserta vel collata esse, quae in vitis a Capitolino scriptis pleraque invenimus. Iam Dirksen [1]) vitam Severi cap. 1—19 potissimum e Mario Maximo fluxisse iudicavit. Dispositio vitae Severi eadem est quae in ceteris e Mario Maximo haustis: 1) familia 1, 1—3, 2) educatio 1, 4—5, 3) omina imperii 1, 6—10, 4) munera publica 2—5, 5) primordia regni c. 5—8, 5, 6) bella cum Nigro Albinoque gesta 8, 6—12, 7) edicta legesque, quas Severus edidit ad imperium confirmandum 13—14, 8) bellum Parthicum profectioque in Orientem 15—17, 4, 9) administratio rei publicae moresque imperatoris 17, 5—18, 10) mors imperatoris 19, 1—4, 11) opera, quae reliquit 19, 5—6. Quae capita eundem in modum disposita atque in vita Marci Commodique fere omnia e Mario Maximo hausta esse duco uno tantum excepto, cap. 2. **Maximus.**

Cum cap. 1 et 3 Spartianus auctorem secutus sit, qui Severo haudquaquam inimicus fuit, cap. 2 incipit »Iuventam plenam furorum, nonnunquam et criminum habuit,« quae a Marii Maximi scribendi ratione abhorrent. Semper enim res gestas ipsas attulit Marius Maximus nec verbis est usus, **Cordus.**

1) L. c. p. 60 cf. Müller l. c. p. 76—87.

qualia: »nonnunquam et criminum.« A Mario Maximo ea quoque abhorrent quae deinde sequuntur »absolutus est a Iuliano proconsule, cui et in proconsulatu successit et in consulatu collega fuit et in imperio item successit.« Marius Maximus enim retulit, Iulianum cum Pertinace consulem fuisse et Pertinaci in proconsulatu successisse (vit. Iul. 2, 3 Pert. 14, 5), Severum autem primum consulatum cum Apuleio Rufino egisse vit. Sev. 4, 5). Itaque Marius Maximus non retulit, Iulianum cum Severo consulem fuisse et auctor, quem Spartianus hic sequitur eandem rationem, quam inter Pertinacem Iulianumque intercedere e Mario Maximo didicit ad Iulianum Severumque transtulit. Suspecta ea quoque quae sequuntur: »quaesturam diligenter egit omisso tribunatu militari [1]), post quaesturam sorte Baeticam accepit . . . sed dum in Africa est pro Baetica Sardinia ei attributa est, quod Baeticam Mauri populabantur.« Quid? Severus nisi provinciam ab hostibus defendere potuit, cur praefectus provinciae factus est? Alia quoque res suspicionem movere debet: et, quod iam post quaesturam Severus provinciam accepisse dicitur, et quod eo tempore Mauri Baeticam populati esse dicuntur. Mauros enim Hispanias omnes vastasse antequam Marcus post fratris mortem in Germaniam profectus sit Marius Maximus enarravit vit. Marci 21. Itaque non post annum 170 accepit Severus Baeticam. Quaesturam ergo Severus egisse dicitur anno 168 vel 169 i. e. vicesimo tertio aetatis anno. Et cum filii quidem imperatorum ante eos aetatis annos qui legibus erant constituti muneribus publicis fungerentur, nullam causam videre possum cur Severus cuius familia ne senatoria quidem erat, tam mature sit promotus. Fictum ergo esse duco, iam anno 170 Severum legationem proconsulis Africae accepisse, praesertim cum quae adduntur 2, 6 et 2, 9 nimis fabulosa

1) Sic argute emendavit Hirschfeld (Hermes I. p. 230): »omnis sortibus natu militari post etc.«

sint. Cap. 2 igitur non e Mario Maximo sed fortasse e Cordo fluxisse duco. Cap. 2 e Cordo haustum esse pro certo quidem affirmare non audeo, sed iam prioribus in vitis vidimus praeter Marium Maximum Cordum epitomatum esse, ita ut credibile sit, hoc quoque loco Cordum epitomatum esse. Accedit id, quod iam saepius vidimus quod, c. 2, 2 contra Marium Maximum scriptum esse videtur. Vita Severi quoque confimatur, quod p. 49 de Spartiano diximus. Maiore cum cura Capitolino compilavit vitas. Cum epitomae Marii Maximi ex alio auctore quaedam insereret, omisit ea, quae Marius Maximus de eadem re retulit, cum Capitolinus de una eademque re duos vel tres inter se discrepantes auctores epitomaverit. Non enim retulit Spartianus ea, quae Marius Maximus de rebus a Severo gestis inde a prima adulescentia usque ad tricesimum secundum aetatis annum enarravit, pro quibus alio ex auctore indidit cap. 2.

C. 18, 7—10 deinde maiore cum fiducia Cordo tribuo, ubi talia afferuntur, qualia a Cordo de singulis imperatoribus enarrata esse sciamus. Atque hoc loco Spartianus omisit se iam Mario Maximo duce exposuisse, quale hominum iudicium de Severo fuerit (18, 6) et e Cordo denuo affert 19, 10: »ac multum amatus etc.«

C. 20 et 21 Spartianus considerationibus replevit, quas de filiis clarorum hominum habuit. Spartianus studuit quidem Diocletiano ostendere [1]), se magnum esse philosophum et historiae peritissimum, cum ex historia demonstrare conetur »neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse«, sed Spartianus stultior et stupidior fuit, qui ipse talia etiamsi inepte dicta fingere potuisset, atque haec omnia, quae se ipsum »reputantem« invenisse summa cum insolentia dixit, ex auctore quodam transcripsit, nec quidquam sua ex mente addidit. Cum enim de omnibus fere **Maurus.**

1) cf. 20, 1: »Legisse me memini«. 20, 4: »Et reputanti mihi Diocletiane Auguste satis claret«.

imperatoribus disseruerit nullum tamen attulit eorum, qui tertio saeculo post Severum vixerunt, et cum exspectare debeamus Spartianum quae de Severo dicat, e Mario Maximo hausisse, alio fonte se usum esse prodit Spartianus 20, 2: »Antoninum ex priore matrimonio susceperat,« quod repugnat cum 3, 3 et 3, 9.

C. 20 Spartianus verbis incipit; »Legisse me apud Helium Maurum Phlegontis Hadriani libertum memini.« Sed falso Spartianus dicit se de Severo quaedam apud Phlegontis libertum legisse. Phlegon enim Hadriani libertus vitam Hadriani in lucem edidit, quamquam libri eius a Hadriano ipso scripti esse dicebantur (vit. Hadr. 16, vit. Firm. Sat. 7, 6). Vossius[1]) Spartiano credidit, Maurum libertum liberti fuisse et temporibus Caracallae vixisse. Sed si Phlegon Hadriani temporibus (117—138) vixit libertus eius certe de Severi morte (211) non scripsit. Salmasius quoque recte monet libertum libertos non habuisse putatque Hadriano nomen quoque Phlegonti fuisse. Mihi in eo errasse Spartianus videtur, quod Maurum ab Hadriani liberto manumissum esse dicat. Fortasse alius quidam Phlegon Maurum manumisit. Hoc e Mauro Spartianus hausit 20 et 21.

C. 22 Signa mortis Severi describuntur non ex Mario Maximo hausta. Marius Maximus enim tradidit Severum natum esse an. 146, itaque memoriae non tradidit eum octoginta et novem annos natum mortuum esse 22, 2. Eodem ex auctore quo cap. 22, fortasse fluxerunt ea quoque quae sequuntur 23, 1—2. Nam Mario Maximo non nisus est Spartianus c. 23 scribens. Quae enim 23, 1 enarrantur iam memoriae tradita sunt 19, 5. Ergo aut 19, 5 aut 23 Mario Maximo abiudicandum est. Et quod 8, 7 e Mario Maximo allatum est, immodice exaggeratur 23, 2 (a Cordo?): »moriens septem annorum canonem ita ut cotidiana septua-

1) Ger. Vossius de historicis Latinis libri III Lugduni 1653 II p. 176.

ginta quinque milia modium expendi possent, reliquit«. Quod longe a veritate abhorret. Ex Dione enim 76, 1 concludi potest [1]) praetorianos et eos, qui de publico frumentum Severi tempore acciperent ducenta milia fuisse. Si ergo cotidie septuaginta quinque milia modium distributa essent, singula per diem fere dimidiatum modium accepissent. Neque 3—7 e Mario Maximo fluxerunt, quae si Marii Maximi essent, inveniremus c. 18, 10—11, quo loco ultima Severi verba afferuntur. Itemque cap. 24 Mario Maximo abiudicandum est, cum iam cap. 19 de funeribus Severi relatum sit. Et cum c. 22—24 tam arte inter se coniuncta sint ut uno ex auctore fluxisse videantur, fortasse Cordo tribuenda sunt.

Severus vitam suam scripsit de qua Spartianus iudicat: 18, 6 »vitam suam privatam publicamque ipse composuit ad fidem solum tamen vitium crudelitatis excussans«. Hunc locum e Mario Maximo fluxisse luce clarius est si legimus c. 18, ubi de philosophiae doctrinaeque studiis Severi disseritur. Citatur vita Severi vit. Nigri 4, 7. Alb. 7, 1. 10, 1. 11, 6.

Cum iam de fide Marii Maximi in Severi vita quaestio instituenda sit compluria mihi occurrunt non tam ad fidem scripta. Mueller quidem (151—158) una tantum in re errasse Marium Maximum ducit. Sed compluria video parum accurate a Mario Maximo conscripta. Fides.

Dio refert de Severi aetate 76, 17, unde apparet Severum natum esse III Id. Apr. 145 [2]). Si Mario Maximo credimus, Severus natus est VI Id. April.[3]) 146 Erucio Claro. Cum iam saepius viderimus Marium Maximum de consulibus

1) Cf. Reimar. ad hunc locum.

2) Falso Clinton l. c. ad ann. 146. Birth of Severus vit. Sev. c. 1 Natus est etc. Agreeing with Dio. Praetermisit, ex Dio 76, 17 apparere Severum anno 145 natum esse.

3) Fortasse cum Casaubono scribendum est III. Id. April. cf. Natales Caesarum in Cor. Insc. I p. 379.

errasse hoc quoque loco Dioni maiorem fidem habendam esse duco.

Discrepant praeterea inter se Dio et Marius Maximus de Caracallae aetate 4, 6 traditur Severum antequam ad exercitum in Germaniam profectus sit omen a filio accepisse »quinquenni«. Cum Severus a Commodo in Germaniam missus sit, quae 4, 6 enarrantur ante Commodi mortem gesta sunt, id est ante Cal. Ian. 193. Caracallus ergo natus esse dicitur 187 quod confirmatur quoque 3, 9 et 16, 3. Nam Caracallus bello Parthico per hiemem 198/199 gesto imperator appellatus esse dicitur, tertio decimo aetatis anno. Marius Maximus ergo tradidit Caracallum non post annum 187 natum esse. Quod repugnat cum Dione 78, 6 qui Caracallum anno 188 natum esse tradidit. Tillemont [1]) et Clinton Dioni maiorem habuerunt fidem; nescio an recte. Nam quaecunque a Mario Maximo de Severi uxoribus et liberis enarrantur tam accurate atque explicite descripta sunt, ut fideli e fonte hausita esse videantur.

Valde in eo erravit Marius Maximus quod Severum Germaniae praefuisse scripsit 4, 4. 4, 5. 4, 7. 5, 1. Dio 73, 14 dicit, Severum Pannoniae praefuisse et tres legiones ei praesto fuisse (cf. Her. II 9, 2). Quo cum consentit, quod Severus in Pannoniae oppido Carnunto imperator appellatus est (vit. Sev. 5, 2). Itaque non credendum est, Germaniis quoque praefuisse Severum. In Germania superiore et inferiore quatuor erant legiones (Dio 55, 23) et in Pannonia quatuor. Praeterea in Norico Rhaetiaque singulae legiones erant. Nihilo secius Renier [2]) contendit, Severum praeter Pannoniam Rhaetiamque Germaniae quoque superiori praefuisse. Sed si Severus Germaniae superiori tantum [3]) Norico,

1) L. c. III p. 449.

2) Renier Mélanges d'épigraphie Paris 1854 p. 155—170.

3) Quod vel Spartiani verbi refutatur qui dicat, »proficiscens ad Germanicos exercitus« 4, 5.

Rhatiae, Pannoniae praefuisset octo tamen legiones ei praesto fuissent quod de viro proconsulari inauditum est et Dionis verbis refutatur (73, 14). Neque praeterea credendum est Commodum qui adeo de sua salute timeret permisisse ut cuiquam tantus committeretur exercitus. Sed Renier sententiam suam defendere conatur inscriptione allata [1]). Qua inscriptione Renier duas legationes significari ducit, quarum prima in Germaniam ad Severum missa ea sit, de qua Spartianus referat vit. Iul. 5, 6, vit. Severi 5, 5. Qui legati a senatu non tam ad Severum missi quam ad milites ad defectionem incitandos ad Severum defecerunt. De quo haudquaquam honesto facto gloriatos esse eos, qui missi sint, haud credibile est. Legatio deinde, de qua Spartianus scribit ad Severum iam Romam appropinquantem neque in Germaniam missa est. Praeterea num credendum est, Severum qui Carnunti imperator appellatus sit, milites Carnunti coegisse, deinde in Germaniam profectum esse et Alpibus superatis Germaniam invasisse, praesertim cum 66 dies post Pertinacis mortem Romae fuerit? Recte igitur Henzen mihi contendere videtur Porcium a senatu ad Severum contra Albinum proficiscentem missum esse. Marius Maximus ergo negligenter scripsit Germaniis praefuisse Severum, cum quaecunque in provinciis gerebantur, nimia incuria tractarit.

Quae sequuntur 5, 1: »imperator est appellatus Idibus Augustis« corruptum est ex: »Idibus Aprilibus«. Nam Marius Maximus qui retulit Pertinacem esse interfectum 5 Cal. Aprilis (vit. Pert. 15, 5) certe non scripsit Severum Idibus Augustis demum imperatorem esse appellatum.

Primordia regni et quaecunque a Severo Romae gesta sunt multo accuratius Dione Marius Maximus retulit. Sed longe a veritate abhorrent, quae Marius Maximus de bello contra Nigrum gesto retulit. Singula afferre nolo, sed — ut alia omittam — falso refertur, Nigrum apud Cyricum de-

1) Orelli-Henzen 5494.

victum et interfectum esse, cum Niger apud portas Aminiacas demum victus sit [1]). Et ne unum quidem verbum dicit Spartianus de Byzanti oppugnatione, de qua copiose Dio 74, 10–14 retulit. Itaque Marius Maximus rerum scriptor non is L. Marius Maximus esse potest, qui ante Byzantium primae legioni Italicae praefuit [2]). Incredibile est ducem, qui legioni per totam obsidionem praefuerit de obsidione tam gravi tacuisse; eundemque de bello cui ipse dux legionis interfuerit tam falsa ineptaque narrasse. Praeterea, cum Marius Maximus rerum scriptor Commodi Pertinacisque temporibus Romae fuisse videatur, L. Marius Maximus ille, de quo agunt inscriptiones, semper in provinciis fuisse dicitur.

Utrum Herodianus an Dio Sulpiciani necem magis ad veritatem enarraverit Müller diiudicari vult e vit. Severi c. 18, 5 et 7. Praetermisit hoc loco non de Sulpiciani morte disseri sed de alia re, quae inter Severum Sulpicianumque intercessit quam Dio enarrat 73, 10.

Cum iam quae de reliquis imperatorum vitis conscripsi hac dissertatione in lucem edere non possim, id patefecisse duco, Capitolinum et Spartianum haudquaquam eundem in modum vitas conflasse. Equidem Spartiano tribuo vitas Hadriani, Heli, Pii, Iuliani, Severi, Nigri, Albini, Capitolino Marci, Commodi, Pertinacis, Caracalli, Getae, Maximinorum, Gordianorum, Maximi et Balbini, Lampridio vitas Heliogabali, Diadumeni, Macrini. Capitolinus complures auctores legit

1) Falso enim Herodianus III 2—6 (quem Müller defendit p. 156—158), Nigrum ad Issum victum esse narrat analogia seductus, ut eodem loco quo inter Alexandrum Dariumque pugnatum sit, inter Nigrum quoque Severumque de imperio certatum esse fingeret.

2) Orelli Henzen 5502. Borghesi Oeuvres V p. 455—485. Muratori 146. Müller p. 170—174.

antequam ad vitas scribendas aggrederetur. Deinde Marium Maximum et Aelium Iunium Cordum epitomavit et excerpta aut inter Marii Maximi verba inseruit aut singula in capita contulit. Quam quidem curam Spartianus minime adhibuit, sed iis in vitis quibus Marius Maximus ei praesto fuit Marium Maximum Cordumque epitomavit. Uterque tanta cum negligentia vitas conflavit, ut multa inter se discrepantia ex auctoribus suis transferret et tam illiteratus fuit ut ne verba quidem verborumque constructiones fontium suorum immutare posset. Sed propter id ipsum, quod Capitolinus et Spartianus tam stulte et inepte vitas conflarunt, facultas nobis data est, diiudicandi quae e Mario Maximo hauserint.

Capitolinus et Spartianus uno eodemque tempore scripserunt vitasque suas ad Diocletianum et Constantinum miserunt. Vitae eorum in codicibus secundum tempus ordinatae sunt, quo ad imperatores missae sunt.

Diligentius Spartiano et Capitolino Lampridius scripsit qui compluribus auctoribus usus [1]), saepius studuit diversorum auctorem discrepantias tollere atque confundere. Sed Constantinum adulatus insolentissime mentitus est.

Cordus [2]), qui post annum 244 imperatorum vitas scripsit videtur Marium Maximum imitatus Suetonium continuasse [3]). Et Marium Maximum Herodianumque exaggeravit. exornavit [4]) et ad Marium Maximum refutandum insolentissime mentitus est [5]). Praeterea ineptas finxit fabulas de singulis imperatoribus et ementitus est, quot vestes habuerint, quando processerint, qualia convivia fuerint etc.

1) Citat Lampridius Lollium Urbicum vit. Diad. 9, 2. Encolpium vit. Al. Sev. 11, 1. 48, 7. Septimium ib. 17, 2. 48, 7. Gargilium ib. 30, 9. Dexippum 49, 3. 5. Acholium ib. 48, 7. 64, 5, Fabium Marcellinum, Aurelium Verum, Statium Valentem 48, 6.

2) Citatur eius vita Gordiani III vit. Gord. 31, 6.

3) Vit. Macr. 1, 3 citatur Traiani vita.

4) Cf. quae adnotavimus ad vit. Pii 2, 6. Marci 17, 3 ss. Com. 13. Sever. 2. vit. Albini 7 etc.

5) Cf. vit. Pert. 12. Iuliani c. 4 et 9.

Marius Maximus scripsit vitas Nervae [1]), Traiani, Hadriani, Pii, Marci, Commodi, Pertinacis, Iuliani, Severi, Caracalli, Heliogabali. Eum ut Suetonium vitas per libros disposuisse apparet ex vit. Cassi 6, 7. Exstant septem inscriptiones [2]) de quodam L. Mario Maximo. Qui natus est circ. annum 160, a Commodo inter praetorios adlectus est 192, primae legioni Italicae praefuit inter obsidionem Byzanti (193—196), consul anni 198 vel 199, deinde praefectus provinciae Germaniae inf., deinde Syriae fuit, praefectus urbis fuit ann. 217 ss., iterum consul ann. 223, deinde praefectus provinciae Africae. Qui Marius Maximus quamquam eodem tempore vixit atque rerum scriptor, tamen idem esse non potest Nam si dux legionis Byzantium obsidentis fuisset, certe huius obsidionis in Severi vita mentionem fecisset. Sed ne unum quidem verbum in epitoma de Byzanti obsidione invenimus. Deinde qui bello contra Nigrum gesto interfuit, non tam falsa de eo narravisset, quam qualia in vita Severi Nigrique legimus. Neque Marius Maximus si a Macrino praefectus urbis nominatus esset [3]) et ab imperatore ipso epistulas accepisset, vitam Macrini omisisset neque Macrinum inter praedones duxisset (vit. Sev. 19, 6). De Marii Maximi vita ergo nihil certi constat. Mortuus esse videtur non multo post annum 222 quia vitam Heliogabali imperfectam reliquisse videtur. Verisimilimum deinde est, eum ann. 192 et 193 Romae fuisse atque

---

1) Vita Traiani citatur vit. Alex. 48, 6. Sed Marium Maximum Nervae quoque vitam conscripsisse verisimillimum est. Scholiasta enim ad Iuvenal. 4, 53 e Mario Maximo refert Domitiano interfecto delatores a senatu capitis damnatos esse, unde concludi potest Marium Maximum Nervae quoque vitam conscripsisse cf. Müller p. 19 ss.

2) Orelli Henzen 5502. Borghesi Oeuvres V p. 455 ss. Inscrizione di Mario Maximo. Müller p. 170 - 174. Quo loco gravem errorem Müller commisit, cum ad annos p. Chr. n. constituendos de annis ab urbe condita 754 detraheret neque 753 ita ut annum a. u. c. 949 = 195 p. C. n. neque 196 etc. esse duceret.

3) Dio 78, 14. 79, 2.

senatui interfuisse. Omnibus in vitis iuris peritissimum se praebuit et quae Romae gesta sunt latius scribendo prosecutus est, sed provinciarum statum bellaque magna saepe incuria et negligentia tractavit. Deinde quamvis acta senatus diligenter inspexisse videatur, interdum tamen temporum descriptionibus erravit. Historiam autem conscripsit mira quadam Suetoni admiratione repletus, quem vel in minimis rebus secutus est. Nam Suetonius primum id scribendi genus invenit, ut non per annos, quibus quaeque gesta essent res gestas narraret, sed unam eandemque dispositionem omnibus in vitis describendis adhiberet, ita ut singulis capitibus tractaret honores, bella, congiaria, opera, edicta, constituta etc. [2]). Cuius scribendi rationem tam anxie et sollerter imitatus est Marius Maximus, ut mihi non dubium sit quin continuator Suetoni duci vellet. Fortasse librum scripsit »a fine Suetoni Tranquilli« ut Plinius scripsit »a fine Aufidi Bassi«. Sed Suetoni et Marii Maximi scribendi ratio quantum a veri historici officio absit, quivis intelliget. Neque indolem animi neque ingenii mores imperatorum satis cognoscere possumus ex eorum vitis. Quibus vitis seducti sunt ut se aptos ad historiam scribendam ducerent, quicumque de imperatoribus quaedam collegissent vel finxissent [1]). Unde Suetonium et Ma-

---

1) Ut unum tantum exemplum afferam; singula capita vitae Claudi verbis incipiunt. c. 1 »Patrem«. 2 Cl. natus est. 3 disciplinis. 5 Tiberius patronus petenti honores. 9 sed ne discriminibus. 10 per haec imperium cepit. 12 ut in semet augendo. 13 nec expers insidiarium. 14 consulatus. 15 in cognoscendo atque decernendo. 17 expeditionem. 18 urbis annonaeque curam. 20 opera. 21 congiaria. 24 ornamenta. 25 equestres militias. 26 sponsas. 27 libertos. 28 libertorum. 30 auctoritas. 31 valetudine. 32 convivia. 33 cibi vinique. 34 saevum etc. 43 sub exitu vitae signa. 45 mors. 46 praesagia. Ita iam primis singulorum capitum verbis cognoscere possumus quae in singulis tractata sint.

2) Vopiscus in vita Probi 2, 7 »et mihi quidem id animi fuit, ut non Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos

rium Maximum imitati sunt isti, qui tantum attulerunt ad historiam depravandam verumque historici officium oblivioni dandum, Cordi, Gargilii, Marcellini, stultaque ista natio, quae nomine »scriptorum historiae Augustae« honoratur Spartiani, Capitolini, Gallicani, Lampridi, Polliones, Vopisci.

Quae scribendi ratio tantum apud omnes posteriorum temporum scriptores valuit, ut potentissimi et clarissimi Germanorum imperatoris Caroli Magni vita a literatissimo sui temporis scriptore in siccam istam enervatamque formam redigeretur.

---

imitarer viros in vita principum et temporibus disesrendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Martialem, Gargilium Martialem«. vit. Firmi 1, 1 »Suetonius emendatissimus et candidissimus scriptor«. vit. Max. et Balb. 4, 5,

---

VITA.

Ego Carolus Rübel na[illegible]
1848 h. ae. ex patre Ab[illegible]
morte ereptum esse valde [illegible]
bänder. Religioni addict[illegible]
parentes se contulerunt [illegible]
imbutus gymnasium frequ[illegible]
deinde Gandtnero directoribus. In[illegible]
contuli Bonnam studiis theologicis [illegible]
deinde vere 1867 Lipsiam migravi [illegible]
viros clarissimos Ritschel, Curtius, Z[illegible]
Deinde per duos annos in aedibus Beck[illegible]
Saxoniae quadam regione liberis educandis o[illegible]
eunte vere 1870 Bonnam reversus studiis hist[illegible]
dedi. Cum bellum exoreretur quintae decimae legion[illegible]
ptus ab 18. Aug. usque ad 1. Apr. 1871 contra Francoga[illegible]
arma tuli, deinde denuo Bonnae studiis incubui historicis. Docuerunt me Bonnae Bernays, Bücheler, Dilthey, Iahn, Krafft, Lange, Meyer, Schäfer, Simrock, Springer, de Sybel, Usener, Varrentrapp. Quibus viris optime de me meritis gratias ago. Imprimis vero ex animi sententia quam maximas ago gratias Schäfero et de Sybelo, qui benique permiserunt ut seminario historico sodalis per tres semestres adscriberer et benignissimo atque amicissimo consilio et auxilio me adiuverunt.

ONTROVERSAE.

nario" scribendum „capite

ciem" scribendum „per vi-
imi

neriae" scribendum est pro „anarbo"
alb. 7, 6).

„severat" corruptum est ex „crea-

Lugdunense anno 196 neque 197 commis-

uctor chronici Paschalis nisus est fastis qui vocantur Idatiani.

7) False Grosser historiam Graecam epitomen libri Xenophontis esse contendit.
8) Fidelissimus auctor belli Cantabrici Orosius est.
9) False Dobraeus Soph. Trach. vers. 166—168 spurios iudicavit.
10) Ratio, quam Buckle sequitur in historia enarranda valde abhorret a veri historici officio.
11) Non iam recte iubemur dissertationes historicas Latine scribere.
